FLORUS & AMPELIUS

Ex Libris

Russell Perry Sebold, III

FL DRPS FA/1413
0500773611

Lucius Florus. *Lud. Du Guernier inv. et Sculp.*

MERCANTILE LIBRARY PHILADA.

LUCIUS ANNÆUS

FLORUS.

Cui subjungitur

LUCII AMPELII

LIBER MEMORIALIS.

LONDINI:

Ex Officinâ JACOBI TONSON, & JOHANNIS WATTS.

MDCCXV.

CUM PRIVILEGIO.

MERCANTILE LIBRARY PHILADA.

ANNE R.

WHEREAS Our Trusty and Well-beloved *Michael Maittaire*, Gent. hath humbly represented unto Us, That he hath with great Labour and Expence prepared for the Press a compleat *Collection* of all the *Greek* and *Latin* Authors in Twelves, with compleat Indexes, and has therefore humbly besought Us to grant him our Royal Privilege and Licence for the sole Printing and Publishing thereof for the Term of Fourteen Years: We being willing to give all due Encouragement to Works of this Nature, which tend to the Advancement of Learning, are Graciously pleased to condescend to his Request; and do therefore, by these Presents, Grant unto him the said *Michael Maittaire*, his Executors, Administrators, and Assigns, Our Royal Licence for the sole Printing and Publishing the Compleat *Collection* of all the *Greek* and *Latin* Authors in Twelves, with compleat Indexes aforesaid, for the Term of Fourteen Years, from the Date hereof; strictly forbidding all Our Subjects within our Kingdoms and Dominions to Reprint the same, either in the like, or in any other Volume or Volumes whatsoever; or to Import, Buy, Vend, Utter, or Distribute any Copies thereof, Reprinted beyond the Seas, during the aforesaid Term of Fourteen Years, without the Consent or Approbation of the said *Michael Maittaire*, his Heirs, Executors, and Assigns, under his or their Hands and Seals first had and obtained; as they will Answer the Contrary at their Peril. Whereof the Commissioners and other Officers of Our Customs, the Master, Wardens, and Company of *Stationers* are to take Notice, That the same may be entered in the Register of the said Company, and that due Obedience be rendred thereunto. Given at Our Court at St. *James*'s, the Fourth Day of *April*, 1713. In the Twelfth Year of Our Reign.

By Her Majesty's Command.

DARTMOUTH.

GENEROSO JUVENI

FRANCISCO BABER

ARMIGERO

S. D.

MICHAEL MAITTAIRE.

JAM diu est, Generose Juvenis, quum mihi dari exoptavi, ubi gratum adversùs tuam familiam animum palàm ostenderem. Tuus Avus Patérque, viri in re Literariâ Publicâque cum summâ laude versati, à quibus tuæ adolescentiæ cura mihi aliquando demandata est, tam

singularem mihi præstiterunt benevolentiam, in tam arctam me receperunt familiaritatem, ut infra infimos forem homines, si non modò eorum in me merita non haberem in memoriâ, sed eadem publicandi occasionem, quoties sese offert, tacitus præterirem. Id nunc ætatis es, quæ te hominum oculis subjicit, negotiisque obeundis maturum hortatur, ut Parentum memor, eorúmque vestigiis insistens, spem de te conceptam impleas, neque aliter te geras, ac si utrumque haberes tuarum actionum testem. Non equidem de te dubito, qui tuam indolem nôrim, cui calcar minimè opus est. Patere nihilominus me tibi jam festinanti plaudere, & virile tuæ vitæ stadium tam auspicatò ingresso gratulari. Illud, quod mitto tibi, munusculum, utì non onerosum, ita neque omnino tibi erit inutile. In eo breviario, quamlibèt angusto, totum, quaquà patuit, Romanum clauditur Imperium.

um. Nusquam & magìs varia & major rerum series: nullibi grandiora ab initiis tam exiguis incrementa. Nunquam acriùs cum hostibus extraneis & domesticis conflictatum, aut fortiùs eluctatum. Non est, unde meliùs ediscas, quid pro Patriâ & periclitante & florente agendum sit. Utcunque eris in utramque sortem paratus, mecum tamen & cum bonis omnibus comprecare, ut in hâc semper, in illâ aut nunquam aut perrarò tuæ virtutis experimentum capere ei contingat. Vale; méque & Avi & Patris olim amicum inter tuos etiam numera.

1714. *Prid. Cal. Jan.*

DE

FLORI ÆTATE.

PAUCA admodum sunt, quæ ad vitam hujus Historici describendam possis colligere. Ex ipsius Proœmio satis constat, sub Trajano vixisse. De Nomine non adeò convenit inter Eruditos. Vulgatum est Lucius Annæus Florus; in nonnullis, Lucius Junius Florus; in aliis, Lucius Annæus Seneca; & cùm Senecæ sint ex Annæâ Gente, noster non temere ad Senecarum familiam referatur. In Eliæ Vineti Mss. Codicibus, memoratur Lucius Annæus Melas, quem ex Chron. Euseb. anno 4° Olympiadis ccxi Senecæ fratrem & Gallionis bona Lucani Poëtæ filii sui à Nerone promeritum fuisse accipimus. In his tenebris, ex quibus nil certi in lucem eruere, præter dubias quasdam conjecturas, potuit Gerardus Johannes Vossius, vir, quo vix alter accuratiùs Scriptorum tempora rimatus est, non est, unde lectori meliorem facem præferam.

De

De Floro in Eliæ Vineti Mss. codicibus legimus, *neminem melius nec ornatius nec expeditius nec purius nec defecatius nec brevius nec latius aliquid componere potuisse*; in Gerard. Joh. Voss. *Stylum ejus esse declamatorium, ac Poëtico propiorem, adeò ut etiam Virgilii Hemistichia profundat: Scriptorem esse elegantem & disertum, &, si pauculà exceperis, quæ frigidiùs dicta videntur, verè floridum; at in temporum ratione negligentem.*

Floro idem, qui antea in Elzevirianâ Editione, hìc comes adjungitur Lucius Ampelius, longè licèt & tempore & stylo inferior, ob materiam tamen & variam nec injucundam, legi non indignus; quem forsan cum Paulino, Symmacho, & Messalâ laudat Carmin. 9. ad Felicem Sidonius Apollinaris. Libellus is Lucii Ampelii, quem vocat Memorialem, exhibetur, qualis in supra-dictâ editione, haud sinè multis, quæ non nisi ope melioris codicis possunt emendari.

VARIANTES LECTIONES ex Editione Elzevirianâ excerptæ.

Pag. Lin.
2. 8. Propè cccc per annos,
12. consules, CL annos
3. 4. jam septimâ
14. sanguini & prædæ
4. 2. Heic templum esto, inquit, &
9. bella
5. 9. commissa
6. 1. nepos ex filiâ
14. Nævius
7. 4. decuriis
9. 5. Publicola, summo
10. 5. quem vix effugeris,
12. 10. *urbe non remeare.*
30. perinde ac armis
13. 2. Non Cremeræ fœdior
34. manibus exæquant.
14. 33. qui incensam
16. 13. in ipsâ Samnio
18. 1. nec satis nôrant. Aderat
17. novo colore simul
22. 21. indignitas;
25. plebes quoque
26. 17. calamitatis
28. 4. Tutum
29. 31. *utrum eligitis?* cúmque succlamatum esset, *utrum vellet, daret. Bellum igitur,*
31. 31. bullis cingulis atque annulis
33. 12. citiùs an faciliùs:
33. ultimas metas,
34. 14. nec emptor inventus est:
21. ultimos — angulos
26. inopinantésque

Pag. Lin.
38. 3. in Æmilio, Alcibiadem æquavimus;
20. Syriaco bello
39. 7. Syriatici belli
41. 1. præceperat:
43. 31. triumphis
45. 26. cognomen meruerat, & Celtibericus fieri, quum &
30. quum rex fuisset
48. 34. quæ etsi juncta inter
52. 27. remigarent,
54. 5. indè sexaginta
55. 20. per perfidum
34. quatuordecim anni
58. 15. Ciliciæ quoque littora,
60. 12. observavit.
68. 16. miseratus est, ne populus Romanus gentium victor, orbisque possessor, Laribus ac focis suis exularet: quacunque mente
69. 3. obrogare
71. 19. & etiam Latinos, Afranius Umbros, totus senatus & consules Samnium, Lucaniámque
72. 27. deæ ceremonias jactat,
74. 1. cùm septuaginta aut amplius
76. 7. honorificaverant
92. 13. ipse plane & convitiis Cæsaris dignitatem & furtis hæreditatem lacerare, ipsum
96. 27. piavimus.

L. ANNÆI FLORI RERUM ROMANARUM LIBRI IV.

Proœmium.

POPULUS Romanus à rege Romulo in Cæsarem Augustum, septingentos per annos, tantum operum pace belloque gessit, ut si quis magnitudinem imperii cum annis conferat, ætatem ultra putet. Ita latè per orbem terrarum armâ circumtulit, ut qui res ejus legunt, non unius populi, sed generis humani facta discant. Nam tot laboribus periculisque jactatus est, ut ad constituendum ejus imperium contendisse Virtus & Fortuna videantur. Quare quum præcipuè hoc quoque, sicut cætera, operæ pretium sit cognoscere; tamen quia ipsa sibi obstat magnitudo, rerúmque diversitas aciem intentionis abrumpit, faciam quod solent qui terrarum situs pingunt: in brevi quasi tabellâ totam ejus imaginem amplectar: non-

nihil, ut spero, ad admirationem principis populi collaturus, si pariter atque insimul universam magnitudinem ejus ostendero. Si quis ergo Populum Romanum quasi hominem consideret, totámque ejus ætatem percenseat, ut cœperit, útque adoleverit, ut quasi ad quendam juventæ florem pervenerit, ut postea velut consenuerit; quatuor gradus processúsque ejus inveniet. Prima ætas sub regibus fuit, propè ducentos quinquaginta per annos, quibus circùm ipsam matrem suam cum finitimis luctatus est: hæc erat ejus Infantia. Sequens à Bruto Collatinóque consulibus, in Appium Claudium, Quinctum Fulvium consules, ducentos quinquaginta annos patet; quibus Italiam subegit: hoc fuit tempus viris armísque incitatissimum; ideò quis Adolescentiam dixerit. Dehinc ad Cæsarem Augustum ducenti anni, quibus totum orbem pacavit: hìc jam ipsa Juventa Imperii, & quasi quædam robusta maturitas. A Cæsare Augusto in sæculum nostrum haud multo minùs anni ducenti: quibus inertiâ Cæsarum quasi consenuit atque decoxit; nisi quòd sub Trajano principe movet lacertos, & præter spem omnium, Senectus imperii, quasi redditâ juventute, revirescit.

LIBER I.

CAP. I. *De Romulo primo Romanorum Rege.*

PRimus ille, & Urbis & Imperii conditor, Romulus fuit; Marte genitus, & Rheâ Sylviâ. Hoc de se sacerdos gravida confessa est, nec mox fama dubitavit, quum Amulii imperio abjectus in profluentem cum Remo fratre, non potuit extingui. Siquidem & Tiberinus amnem repressit: & relictis catulis lupa sequuta vagitum, uber admovit infantibus, matrémque

se gessit. Sic repertos apud arborem, regis pastor tulit in casam, atque educavit. Alba tunc erat Latio caput, Iuli opus: nam Lavinium patris Æneæ contempserat. Ab his Amulius jam bis septimâ sobole regnabat, fratre pulso Numitore, cujus ex filiâ Romulus. Igitur statim primâ juventæ face, patruum Amulium ab arce deturbat, avum reponit: Ipse fluminis amator, & montium, apud quos erat educatus, mœnia novæ urbis agitabat. Gemini erant: uter auspicaretur, & regeret, adhibuere piacula. Remus montem Aventinum, hic Palatinum occupat. Prior ille sex vultures, hic postea, sed duodecim vidit. Sic victor augurio, urbem excitat, plenus spei, bellatricem fore: ita illi assuetæ sanguine & prædâ aves pollicebantur. Ad tutelam novæ urbis sufficere vallum videbatur: cujus dum irridet angustias Remus, ídque increpat saltu, dubium an jussu fratris, occisus est: prima certé victima fuit, munitionémque urbis novæ sanguine suo consecravit. Imaginem urbis magis quàm urbem fecerat: incolæ deerant. Erat in proximo lucus: hunc Asylum facit: & statim mira vis hominum, Latini, Tuscíque pastores: quidam etiam transmarini; Phryges qui sub Æneâ, Arcades qui sub Evandro duce influxerant. Ita ex variis quasi elementis congregavit corpus unum; populúmque Romanum ipse fecit. Res erat unius ætatis populus virorum. Itaque matrimonia à finitimis petita: quia non impetrabantur, manu capta sunt. Simulatis quippe ludis equestribus, virgines quæ ad spectaculum venerant, præda fuere. Et hæc statim causa bellorum. Pulsi fugatíque Veientes. Cæninensium captum ac diruta est oppidum. Spolia insuper opima de rege, Feretrio Jovi manibus suis rex reportavit. Sabinis proditæ portæ per virginem: nec dolo: sed puella pretium rei, quam gerebant in sinistris, petierat; dubium clypeos an armillas. Illi ut & fidem solverent, & ulciscerentur, clypeis obruere. Ita admissis intrà mœnia hostibus, atrox in ipso foro pugna, adeò ut

Romulus Jovem oraret, *Ut fœdam suorum fugam sisteret.* Hinc templum & Stator Jupiter. Tandem sævientibus intervenere raptæ laceris comis. Sic pax facta cum Tatio, fœdúsque percussum: secutáque res mira dictu, ut relictis sedibus suis novam in urbem hostes demigrarent, & cum generis suis avitas opes pro dote sociarent. Auctis brevì viribus, hunc Rex sapientissimus statum Reipublicæ imposuit: juventus divisa per tribus, in equis & in armis, ad subita belli excubaret: consilium Reipublicæ penes senes esset, qui ex auctoritate *Patres*, ob ætatem *Senatus* vocabantur. His ita ordinatis, repentè, quum concionem haberet, ante urbem apud Capreæ paludem, è conspectu ablatus est. Discerptum aliqui à senatu putant, ob asperius ingenium: sed oborta tempestas solísque defectio, consecrationis speciem præbuere: cui mox Julius Proculus fidem fecit, visum à se Romulum affirmans augustiore formâ quàm fuisset: mandare præterea, ut se pro numine acciperent: *Quirinum* in cœlo vocari placitum diis: ita gentium Roma potiretur.

CAP. II. *De Numa Pompilio.*

SUccedit Romulo Numa Pompilius: quem Curibus Sabinis agentem, ultro petivere, ob inclytam viri religionem. Ille sacra, & cæremonias, omnémque cultum deorum immortalium docuit: ille Pontifices, Augures, Salios, cæterósque per sacerdotia; annum quoque in duodecim menses, fastos dies nefastósque descripsit. Ille Ancilia atque Palladium, secreta quædam imperii pignora; Janúmque geminum, fidem pacis ac belli: in primis focum Vestæ virginibus colendum dedit: ut ad simulacrum cœlestium siderum, custos imperii flamma vigilaret. Hæc omnia quasi monitu deæ Egeriæ, quo magis barbari acciperent. Eò denique ferocem populum redegit, ut quod vi & injuriâ occupaverat imperium, religione atque justitiâ gubernaret.

CAP. III. *De Tullo Hostilio.*

EXcipit Pompilium Numam Tullus Hostilius: Cui in honorem virtutis regnum ultro datum. Hic omnem militarem disciplinam, artémque bellandi condidit. Itaque mirum in modum exercitâ juventute, provocare ausus Albanos, gravem & diu principem populum. Sed quum pari robore frequentibus prœliis utrique comminuerentur, misso in compendium bello, Horatiis, Curiatiísque, tergeminis hinc atque indè fratribus, utriusque populi fata permissa sunt. Anceps, & pulchra contentio, exitûque ipso mirabilis. Tribus quippe illinc vulneratis, hinc duobus occisis, qui supererat Horatius, addito ad virtutem dolo, ut distraheret hostem, simulat fugam: singulósque, prout sequi poterant, adortus exuperat. Sic (rarum aliàs decus) unius manu parta victoria est: quam ille mox parricidio fœdavit. Flentem spolia circa se, sponsi quidem, sed hostis, sororem viderat: hunc tam immaturum virginis amorem ultus est ferro. Citavere leges nefas: sed abstulit virtus parricidam: & facinus intrà gloriam fuit. Nec diu in fide Albanus. Nam Fidenates bello missi in auxilium ex fœdere, medii inter duos expectavere fortunam. Sed rex callidus, ubi inclinare socios ad hostem videt, tollit animos, quasi ipse mandâsset: spes indè nostris, metus hostibus. Sic fraus proditorum irrita fuit. Itaque hoste victo, ruptorem fœderis Metium Fufetium, religatum inter duos currus, pernicibus equis distrahit: Albámque ipsam quamvìs parentem, æmulam tamen, diruit, quum priùs omnes opes urbis, ipsúmque populum Romam transtulisset: prorsus ut consanguinea civitas non periisse, sed in suum corpus rediisse rursus videretur.

CAP. IV. *De Anco Marcio.*

ANcus deinde Marcius, nepos Pompilii, pari ingenio. Hic igitur & mœnia muro amplexus est, & interfluentem Urbi Tiberinum ponte commisit; Ostiámque in ipso maris fluminísque confinio coloniam posuit: jam tum videlicet præsagiens animo, futurum, ut totius mundi opes & commeatus illo veluti maritimo Urbis hospitio reciperentur.

CAP. V. *De Tarquinio Prisco.*

TArquinius postea Priscus, quamvis transmarinæ originis, regnum ultro petens, accipit, ob industriam atque elegantiam: quippe qui oriundus Corintho, Græcum ingenium Italicis artibus miscuisset. Hic & Senatûs majestatem numero ampliavit, & centuriis tribus auxit, quatenus Attius Navius numerum augeri prohibebat, vir summus augurio, quem rex in experimentum rogavit, *Fierine posset quod ipse mente conceperat?* Ille rem expertus augurio, *Posse* respondit. *Atqui hoc*, inquit, *agitabam, An cotem illam secare novaculâ possem?* Augur, *Potes ergo*, inquit: & secuit. Indè Romanis sacer auguratus. Neque pace Tarquinus quàm bello promptior. Duodecim namque Tusciæ populos frequentibus armis subegit. Indè fasces, trabeæ, curules, annuli, phaleræ, paludamenta, prætexta; indè, quòd aureo curru quatuor equis triumphatur: togæ pictæ, tunicæque palmatæ; omnia denique decora & insignia, quibus imperii dignitas eminet.

CAP. VI. *De Servio Tullio.*

SErvius Tullius deinceps gubernacula Urbis invadit, nec obscuritas inhibuit, quamvis matre servâ creatum. Nam eximiam indolem uxor Tarquinii Tanaquil liberaliter educaverat, & clarum fore visa circa caput flamma promiserat. Ergo inter Tarquinii mor-

rem, annitente reginâ, substitutus in locum regis, quasi ad tempus, regnum dolo partum sic egit industrie, ut jure adeptus videretur. Ab hôc populus Romanus relatus in censum, digestus in classes, curiis atque collegiis distributus: summâque regis solertiâ ita est ordinata respublica, ut omnia patrimonii, dignitatis, ætatis, artium, officiorúmque discrimina in tabulas referrentur; ac sic maxima civitas minimæ domûs diligentiâ contineretur.

CAP. VII. *De Tarquinio Superbo.*

POstremus omnium fuit regum Tarquinius, cui cognomen *Superbo* ex moribus datum. Hic regnum avitum, quod à Servio tenebatur, rapere maluit, quàm expectare; immissísque in eum percussoribus, scelere partam potestatem non mèlius egit, quàm acquisierat. Nec abhorrebat moribus uxor Tullia, quæ, ut virum regem salutaret, super cruentum patrem, vecta carpento, consternatos equos egit. Sed ipse in Senatum cædibus, in omnes superbiâ (quæ crudelitate gravior est bonis) grassatus, quum sævitiam jam domi fatigâsset, tandem in hostes conversus est. Sic valida oppida in Latio capta sunt, Ardea, Ocriculum, Gabii, Suessa Pometia. Tum quoque cruentus in suos; neque enim filium verberare dubitavit, ut simulanti transfugam apud hostes hinc fides esset. Cui Gabiis, ut voluerat, recepto, atque per nuncios consulenti *Quid fieri vellet*; eminentia fortè papaverum capita virgulâ excutiens, quum per hoc interficiendos esse principes intelligi vellet, (quæ superbia!) sic respondit. Tamen de manubiis captarum urbium templum erexit, quod quum inauguraretur, cedentibus cæteris deis (mira res dictu) restitere Juventas, & Terminus. Placuit vatibus contumacia numinum. siquidem firma omnia & æterna pollicebantur. Sed illud horrendum, quod molientibus ædem, in fundamentis humanum repertum est caput. nec dubitavere cuncti, monstrum pulcherrimum, imperii sedem, capútque terrarum pro-

mittere. Tamdiu superbiam regis populus Romanus perpessus est, donec aberat libido: hanc ex liberis ejus importunitatem tolerare non potuit. Quorum quum alter ornatissimæ fœminæ Lucretiæ stuprum intulisset, matrona dedecus ferro expiavit. Imperium tum regibus abrogatum.

CAP. VIII. *Anacephalæosis de septem regibus.*

HÆc est prima ætas populi Romani, & quasi Infantia, quam habuit sub regibus septem, quâdam fatorum industriâ, tam variis ingenio, ut reipublicæ ratio & utilitas postulabat. Nam quid Romulo ardentius? tali opus fuit, ut invaderet regnum. Quid Numâ religiosius? ita res poposcit, ut ferox populus deorum metu mitigaretur. Quid ille militiæ artifex Tullus, bellatoribus viris quàm necessarius? ut acueret ratione virtutem. Quid ædificator Ancus? ut Urbem coloniâ extenderet, ponte jungeret, muro tueretur. Jam verò Tarquinii ornamenta & insignia quantam principi populo addiderunt ex ipso habitu dignitatem? Actus à Servio census quid effecit, nisi ut ipsa se nosceret Respublica? Postremò Superbi illius importuna dominatio nonnihil, immo vel plurimum profuit. Sic enim effectum est, ut agitatus injuriis populus, cupiditate libertatis incenderetur.

CAP. IX. *De mutatione Reipublicæ.*

IGitur Bruto Collatinóque ducibus, & auctoribus, quibus ultionem sui moriens matrona mandaverat, populus Romanus ad vindicandum libertatis ac pudicitiæ decus, quodam quasi instinctu deorum concitatus, regem repentè destituit, bona diripit, agrum Marti suo consecrat, imperium in eosdem libertatis suæ vindices transfert, mutato tamen & jure, & nomine. Quippe ex perpetuo annuum placuit, ex singulari duplex: ne potestas solitudine vel morâ corrumperetur: *consulésque* appellavit pro regibus, ut consulere se civibus suis debere meminissent. Tantúmque

libertatis novæ gaudium incesserat, ut vix mutati statûs fidem caperent; alterúmque ex consulibus, tantùm ob nomen & genus regium, fascibus abrogatis, Urbe dimitterent. Itaque substitutus Valerius Publicola, ex summo studio annixus est ad augendam liberi populi majestatem. Nam & fasces ei pro concione submisit, & jus provocationis adversùs ipsos dedit. Et ne specie arcis offenderet, eminentes ædes suas in plana submisit. Brutus verò favori civium, etiam domûs suæ clade & parricidio velificatus est. Quippe quum studere revocandis in Urbem regibus liberos suos comperisset, protraxit in forum, & concione mediâ virgis cecidit, & securi percussit: ut planè publicus parens in locum liberorum adoptâsse sibi populum videretur. Liber jam hinc populus Romanus, prima adversùs exteros arma pro libertate corripuit; mox pro finibus; deinde pro sociis; tum gloriâ & imperio, lacessentibus assiduè usquequaque finitimis: quippe cui patrii soli gleba nulla, sed statim hostile pomœrium, mediúsque inter Latium & Tuscos, quasi in quodam bivio collocatus, omnibus portis in hostem incurreret: donec quasi contagione quâdam per singulos itum est, & proximis quibusque correptis, totam Italiam sub se redegerunt.

CAP. X. *Bellum Etruscum cum rege Porsenâ.*

PUlsis ex urbe regibus, prima pro libertate arma corripuit. Nam Porsena rex Etruscorum ingentibus copiis aderat, & Tarquinios manu reducebat. Hunc tamen, quamvis & armis, & fame urgeret, occupatóque Janiculo ipsis Urbis faucibus incubaret, sustinuit, repulit: novissimè etiam tantâ admiratione perculit, ut superior, ultro cum penè victis amicitiæ fœdera feriret. Tunc illa Romana prodigia atque miracula, Horatius, Mucius, Cloelia: quæ nisi in annalibus forent, hodie fabulæ viderentur. Quippe Horatius Cocles, postquam hostes undique instantes solus summovere non poterat, ponte reciso transnatat Ti-

berim, nec arma dimittit. Mucius Scævola regem per insidias in castris ipsius aggreditur: sed ubi frustrato circa purpuratum ejus ictu tenetur, ardentibus focis injicit manum, terrorémque geminat dolo. *Ut scias*, inquit, *quem virum effugeris, idem trecenti juravimus*: quum interim (immane dictu!) hic interritus, ille trepidaret, tanquam manus regis arderet. Sic quidem viri: sed ne quis sexus à laude cessaret, ecce & virginum virtus. Una ex obsidibus regi data, elapsa custodiam, Cloelia, per patrium flumen equitabat. Et rex quidem, tot tantísque virtutum territus monstris, *valere, liberósque esse* jussit. Tarquinii tamdiu dimicaverunt, donec Aruntem filium regis manu suâ Brutus occidit, supérque ipsum mutuo vulnere expiravit; planè quasi adulterum ad inferos usque sequeretur.

CAP. XI. *Bellum Latinum.*

LAtini quoque Tarquinios asserebant, æmulatione & invidiâ: ut populus, qui foris dominabatur, saltem domi serviret. Igitur omne Latium, Mamilio Tusculano duce, quasi in regis ultionem, tollit animos. Apud Regilli lacum dimicatur, diu Marte vario, donec Posthumius ipse dictator signum in hostes jaculatus est (novum & insigne commentum) uti peteretur cursu. Cossus equitum magister exuere frænos imperavit (& hoc novum) quò acriùs incurrerent. Ea denique atrocitas fuit prœlii, ut interfuisse spectaculo deos fama tradiderit; duos in candidis equis, Castorem atque Pollucem, nemo dubitavit. Itaque & imperator veneratus est, pactúsque victoriam templa promisit; & reddidit, planè quasi stipendium commilitonibus deis. Hactenus pro libertate: mox de finibus cum eisdem Latinis assiduè & sinè intermissione pugnatum est. Sora (quis credat?) & Algidum terrori fuerunt, Satricum atque Corniculum provinciæ. De Vernlis & Bovillis pudet; sed triumphavimus. Tibur nunc suburbanum, & æstivæ Præneste deliciæ, nuncupatis in Capitolio votis petebantur. Idem tunc Fæsulæ, quod Carræ nuper, idem

nemus Aricinum, quod Hercynius saltus: Fregellæ, quod Gesoriacum: Tiberis, quod Euphrates. Coriolos quoque, prò pudor! victos, adeò gloriæ fuisse, ut captum oppidum Caius Marcius Coriolanus, quasi Numantiam aut Africam, nomini induerit. Extant & parta de Antio spolia, quæ Mænius in suggestu fori, captâ hostium classe, suffixit; si tamen illa classis: nam sex fuere rostratæ. Sed hic numerus illis initiis navale bellum fuit. Pervicacissimi tamen Latinorum Æqui & Volsci fuere; & quotidiani, ut ita dixerim, hostes. Sed hos præcipuè Lucius Quinctius domuit, ille dictator ab aratro: qui obsessa, ac penè jam capta Marci Minucii consulis castra, egegiâ virtute servavit. Medium erat fortè tempus sementis, quum patricium virum innixum aratro suo lictor in ipso opere deprehendit. Indè in aciem profectus, ne quid à rustici operis imitatione cessaret, victos more pecudum sub jugum misit. Sic expeditione finitâ, rediit ad boves rursus triumphalis agricola. Fidem numinum! quâ velocitate! intrà quindecim dies cœptum, peractúmque bellum: prorsus ut festinâsse dictator ad relictum opus videretur.

CAP. XII. *Bellum cum Etruscis, Falisci, & Fidenatibus.*

ASsidui verò & anniversarii hostes ab Etruriâ Veientes; adeò ut extraordinariam manum adversùs eos promiserit, privatúmque gesserit bellum gens una Fabiorum. Satìs. supérque idonea clades. Cæsi apud Cremeram trecenti, patricius exercitus, & *scelerato* signata nomine, quæ proficiscentes in prœlium porta dimisit. Sed ea clades ingentibus expiata victoriis, postquam per alios atque alios duces robustissima capta sunt oppida: vario quidem eventu. Falisci se sponte dediderunt. Cremati suo igne Fidenates. Rapti funditus deletíque Veientes. Falisci quum obsiderentur, mira visa est fides Imperatoris, nec immeritò quòd ludimagistrum, urbis proditorem, cum iis quos adduxerat pueris, vinctum sibi ultro remisisset.

Eam namque vir sanctus, & sapiens, veram sciebat victoriam, quæ salvâ fide, & integrâ dignitate pararetur. Fidenæ, quia pares non erant ferro, ad terrorem movendum facibus armatæ, & discoloribus, serpentum in modum, vittis, furiali more processerant: sed habitus ille feralis, eversionis omen fuit. Veientium quanta res fuerit, indicat decennis obsidio. Tunc primùm hyematum sub pellibus: taxata stipendio hyberna: adactus miles suâ sponte jurejurando, *nisi captâ urbe remearet*. Spolia de Larte Tolumino rege ad Feretrium reportata. Denique non scalis, nec irruptione, sed cuniculo, & subterraneis dolis peractum urbis excidium. Ea denique visa est prædæ magnitudo, cujus decimæ Apollini Pythio mitterentur: universúsque populus Romanus ad direptionem urbis vocaretur. Hoc tunc Veientes fuere: nunc fuisse quis meminit? quæ reliquiæ? quódve vestigium? Laborat annalium fides, ut Veios fuisse credamus.

CAP. XIII. *Bellum Gallicum.*

HInc sive invidiâ deûm, sive fato, rapidissimus procurrentis imperii cursus parumper Gallorum Senonum incursione supprimitur. Quod tempus populo Romano nescio utrùm clade funestius fuerit, an virtutum experimentis speciosius. Ea certè fuit vis calamitatis, ut in experimentum illatam putem divinitus, scire volentibus immortalibus diis, an Romana virtus imperium orbis mereretur. Galli Senones, gens naturâ ferox, moribus incondita, ad hoc ipsâ corporum mole, perinde armis ingentibus, adeò omni genere terribilis fuit, ut planè nata ad hominum interitum, urbium stragem videretur. Hi quondam ab ultimis terrarum oris, & cingente omnia Oceano, ingenti agmine profecti, quum jam media vastâssent, positis inter Alpes & Padum sedibus, ne his quidem contenti, per Italiam vagabantur. Tum Clusium obsidebant. Pro sociis ac fœderatis populus Romanus intervenit, missis ex more legatis. Sed quod jus apud barbaros? ferociùs agunt; exinde certamen. Conversis

igitur à Clusio, Romámque venientibus, ad Alliam flumen cum exercitu Fabius consul occurrit. Non temere fœdior clades. Itaque hunc diem fastis Roma damnavit. Fuso exercitu jam mœnibus Urbis appropinquabant. Erant nulla præsidia. Tum igitur, aut nunquam aliàs, apparuit vera illa Romana virtus. Jam primùm majores natu, amplissimis usi honoribus, in forum coëunt: ibi devovente pontifice, diis se Manibus consecrant: statímque in suas quisque ædes regressi, sicut in trabeis erant, & amplissimo cultu, in curulibus sellis sese posuerunt: ut quum venisset hostis, in suâ dignitate morerentur. Pontifices & Flamines, quicquid religiosissimi in templis erat, partim in doliis defossa terræ recondunt, partim impósita plaustris secum avehunt. Virgines simul ex sacerdotio Vestæ nudo pede fugientia sarca comitantur. Tamen excepisse fugientes unus è plebe fertur Lucius Albinus, qui depositis uxore & liberis, virgines in plaustrum recepit: adeò tum quoque in ultimis, religio publica privatis affectibus antecellebat. Juventus verò, quam satis constat vix mille hominum fuisse, duce Manlio, arcem Capitolini montis insedit, obtestata ipsum quasi præsentem Jovem, *Ut quemadmodum ipsi ad defendendum templum ejus concurrissent, ita ille virtutem eorum numine suo tueretur.* Aderant interim Galli, apertámque Urbem, primò trepidi, ne quis subesset dolus, mox ubi solitudinem vident, pari clamore & impetu invadunt: patentes passim domos adeunt: ubi sedentes in curulibus suis prætextatos senes, velut Deos Geniósque venerati; mox eosdem, postquam esse homines liquebat, alióqui nihil respondere dignantes, pari vecordiâ mactant, facésque tectis injiciunt: & totam Urbem igne, ferro, manibus solo exæquant. Sex mensibus barbari (quis crederet?) circa montem unum pependerunt, nec diebus modò, sed noctibus quoque omnia experti: quum tandem Manlius nocte subeuntes, clangore anseris excitatus, à summâ rupe dejecit. & ut

ut ſpem hoſtibus demeret, quanquam in ſummâ fame, tamen ad ſpeciem fiduciæ, panes ab arce jaculatus eſt. Et ſtato quodam die per medias hoſtium cuſtodias, Fabium pontificem ab arce demiſit, qui ſolenne ſacrum in Quirinali monte conficeret. Atque iſte per media hoſtium tela incolumis religionis auxilio rediit, *Propitióſque deos* renunciavit. Noviſſimè, quum jam obſidio ſua barbaros fatigâſſet, mille pondo auri receſſum ſuum venditantes, ídque ipſum per inſolentiam, quum ad iniqua pondera addito adhuc gladio, ſuperbè victis increparent, ſubitò aggreſſus à tergo Camillus adeò cecidit, ut omnia incendiorum veſtigia Gallici ſanguinis inundatione deleret. Agere gratias diis immortalibus ipſo tantæ cladis nomine libet. Paſtorum caſas ignis ille, & flamma paupertatem Romuli abſcondit. Incendium illud quid egit aliud, niſi ut deſtinata hominum ac deorum domicilio civitas, non deleta, non obruta, ſed expiata potiùs, & luſtrata videatur? igitur poſt aſſertam à Manlio, reſtituram à Camillo Urbem, acriùs etiam vehementiúſque in finitimos reſurrexit. Ac primum omnium illam ipſam Gallicam gentem non contentus mœnibus expuliſſe, quum per Italiam naufragia ſua latiùs traheret, ſic perſecutus eſt duce Camillo, ut hodie nulla Senonum veſtigia ſuperſint. Semel apud Anienem trucidati, quum ſingulari certamine Manlius aureum torquem barbaro inter ſpolia detraxit: indè Torquati. Iterum Pomptino agro, quum in ſimili pugnâ Lucius Valerius, inſidente galeæ ſacrâ alite adjutus, retulit ſpolia: & indè Corvini. Tandem poſt aliquot annos, omnes reliquias eorum in Etruriâ ad lacum Vadimonis Dolabella delevit: ne quis extaret in eâ gente, quæ incenſam à ſe Romam urbem gloriaretur.

CAP. XIV. *Bellum Latinum.*

CONverſus à Gallis in Latinos, Manlio Torquato, Decio Mure conſulibus, ſemper quidem æmulatione imperii infeſtos, tum verò contemptu Urbis incenſæ; quum *jus civitatis, partem imperii* ac *magiſtratuum* poſcerent, atque jam amplius quàm congredi auderent: quo tempore quis ceſſiſſe hoſtem mirabitur? quum alter conſulum filium ſuum, quia contra imperium pugnaverat, quamvis victorem, occiderit, quaſi plus in imperio eſſet, quam in victoriâ: alter quaſi monitu deorum, capite velato primam ante aciem diis Manibus ſe devoverit: ut in confertiſſima ſe hoſtium tela jaculatus, novum ad victoriam iter, ſanguinis ſui ſemitâ, aperiret.

CAP. XV. *Bellum Sabinum.*

A Latinis aggreſſus eſt gentem Sabinorum, qui immemores factæ ſub Tito Tatio affinitatis, quodam contagio belli ſe Latinis adjunxerant. Sed Curio Dentato conſule, omnem eum tractum, quà Nar ambit, fontéſque Velini, Hadriatico tenus mari, igne ferróque vaſtavit. Quâ victoriâ, tantum hominum, tantum agrorum redactum in poteſtatem, ut in utro plus eſſet, nec ipſe poſſet æſtimare qui vicerat.

CAP. XVI. *Bellum Samniticum.*

PRecibus deinde Campaniæ motus, non pro ſe, ſed, quod eſt ſpecioſius, pro ſociis, Samnites invadit. Erat fœdus cum utriſque percuſſum: ſed hoc Campani ſanctius, & prius, omnium ſuorum deditione fecerant. Sic ergo Romanus bellum Samniticum tanquam ſibi geſſit. Omnium non modò Italiâ, ſed toto orbe terrarum, pulcherrima Campaniæ plaga eſt. Nihil mollius cœlo: denique bis floribus vernat. Nihil uberius ſolo; ideo Liberi Cereriſque certamen dicitur. Nihil hoſpitalius mari: hìc illi nobiles portus, Caieta, Miſenus, & tepentes fontibus Baiæ: Lucrinus & Avernus, quædam maris oſtia. Hìc amicti vitibus montes, Gaurus, Falernus, Maſſicus, & pulcherrimus omnium Veſuvius, Ætnæi ignis imitator. Urbes ad mare, Formiæ, Cumæ, Puteoli, Neapolis,

Herculaneum, Pompeii, & ipsa caput urbium, Capua, quondam inter tres maximas, Romam, Carthaginémque numerata. Pro hâc urbe, his regionibus, populus Romanus Samnites invasit, gentem, si opulentiam quæris, aureis & argenteis armis, discolori veste, usque ad ambitum armatum: si fallaciam, saltibus ferè & montium fraude grassantem: si rabiem ac furorem, sacratis legibus, humanisque hostiis in exitium Urbis agitatam: si pertinaciam, sexies rupto fœdere, cladibúsque ipsis animosiorem. Hos tamen quinquaginta annis per Fabios & Papirios patres, eorúmque liberos, ita subegit, ac domuit, ita ruinas ipsas urbium diruit, ut hodie Samnium in ipso Samnio requiratur: nec facilè appareat materia quatuor & viginti triumphorum. Maximè tamen nota & illustris ex hâc gente clades apud Caudinas furculas Veturio Posthumióque Consulibus accepta est. Clauso enim per insidias intrà eum saltum exercitu, unde non posset evadere, stupens occasione tantâ dux hostium Pontius, Herennium patrem consuluit; & ille, *Mitteret omnes, vel occideret*, sapienter, ut senior, suaserat. Hic armis exutos mittere sub jugum maluit; ut nec amici forent beneficio, & post flagitium hostes magis. Itaque & consules statim magnificè voluntariâ deditione turpitudinem fœderis dirimunt, & ultionem flagitans miles, Papirio duce (horribile dictu!) strictis ensibus per ipsam viam ante pugnam furit: & *in congressu arsisse omnium oculos*, hostis auctor fuit: nec priùs finis cædibus datus, quàm jugum & hostibus & duci capto reposuerunt.

CAP. XVII. *Bellum Etruscum & Samniticum.*

HActenus populus Romanus cum singulis gentium: mox acervatim: tamen sic quoque par omnibus. Etruscorum duodecim populi, Umbri in id tempus intacti, antiquissimus Italiæ populus, Samnitium reliqui, in excidium Romani nominis repentè conjurant. Erat terror ingens tot simul tantorúmque populorum; latè per Etruriam infesta quatuor agminum signa volitabant. Ciminius interim saltus in medio, antè invius, planè quasi Caledonius, vel Hercynius, adeò tunc terrori erat, ut Senatus consuli denunciaret, ne tantum periculi ingredi auderet. Sed nihil horum terruit ducem, quin fratre præmisso exploraret accessus. Ille per noctem pastorio habitu speculatus omnia, refert totum iter. Sic Fabius Maximus periculosissimum bellum periculo explicavit. Nam subitò inconditos atque palantes aggressus est; captíque superioribus jugis, in subjectos suo jure detonuit. Ea namque species fuit illius belli, quasi in terrigenas è cœlo ac nubibus tela mitterentur. Nec incruenta tamen illa victoria: nam oppressus in sinu vallis alter consulum Decius, more patrio devotum diis Manibus obtulit caput; solennémque familiæ suæ consecrationem in victoriæ pretium redegit.

CAP. XVIII. *Bellum Tarentinum, & cum Pyrrho Rege.*

SEquitur bellum Tarentinum, unum quidem titulo & nomine: sed victoriâ multiplex. Hoc enim Campanos, Apulos, atque Lucanos, & caput belli Tarentinos, id est, totam Italiam, & cum istis omnibus Pyrrhum, clarissimum Græciæ regem, unâ veluti ruinâ pariter involvit: ut eodem tempore & Italiam consummaret, & transmarinos triumphos auspicaretur. Tarentus Lacedæmoniorum opus, Calabriæ quondam, & Apuliæ, totiúsque Lucaniæ caput, cùm magnitudine & muris, portúque nobilis, tum mirabilis situ: quippe in ipsis Hadriatici maris faucibus posita, in omnes terras, Histriam, Illyricum, Epirum, Achaiam, Africam, Siciliam, vela dimittit. Imminet portui ad prospectum maris positum, majus theatrum: quod quidem causa miseræ civitati fuit omnium calamitatum. Ludos fortè celebrabant, quum adremigantem littori Romanam classem indè vident: atque hostem rati, emicant, sine discrimine insultant, qui

enim, aut unde Romani? nec satis. Aderat sinè morâ querelam ferens legatio: hanc quoque fœdè per obscœnam turpémque dictu contumeliam violant: ex hinc bellum. Sed apparatus horribilis; quum tot simul populi pro Tarentinis consurgerent, omnibúsque vehementior Pyrrhus: qui semigræcam ex Lacædemoniis conditoribus civitatem vindicaturus, cum totius viribus Epiri, Thessaliæ, Macedoniæ, incognitísque in id tempus elephantis, mari, terrâ, viris, equis, armis, addito insuper ferarum terrore, veniebat. Apud Heracleam, & Campaniæ fluvium Lirim, Levino consule, prima pugna: quæ tam atrox fuit, ut Ferentanæ turmæ præfectus Obsidius invectus in regem, turbaverit, coëgerítque projectis insignibus prœlio excedere. Actum erat, nisi elephanti conversi in spectaculum belli procurrissent: quorum cùm magnitudine, tum deformitate, & novo odore simul ac stridore consternati equi, cùm incognitas sibi belluas amplius quàm erant suspicarentur, fugam stragémque latè dederunt. In Apuliâ deinde apud Asculum meliùs dimicatum est, Curio Fabricióque consulibus: jam quippe belluarum terror exoleverat, & Caius Minucius quartæ legionis hastatus, unius proboscide abscisâ, mori posse belluas ostenderat. Itaque & in ipsas pila congesta sunt, & in turres vibratæ faces tota hostium agmina ardentibus ruinis operuere: nec antè cladi finis fuit, quàm nox dirimeret, postremúsque fugientium ipse rex à satellitibus humero saucius in armis suis referretur. Lucaniæ suprema pugna sub Arusinis, quos vocant, campis, ducibus iisdem qui superiùs: sed tunc ad totam victoriam, exitum, quem datura virtus fuit, casus dedit. Nam productis in primam aciem rursus elephantis, unum ex his pullum adacti in caput teli gravis ictus avertit; qui quum per stragem suorum percurrens, stridore quereretur, mater agnovit, &, quasi vindicaret, exiluit: tum omnia circa quasi hostilia gravi timore permiscuit: ac sic eædem feræ, quæ primam victoriam abstulerant, secundam parem fecerant, tertiam sinè controversiâ tradidere. Nec verò tantùm armis, & in campis, sed consiliis quoque & domi intrà Urbem cum rege Pyrrho dimicatum est. Quippe post primam victoriam rex callidus, intellectâ virtute Romanâ, statim desperavit armis: séque ad dolos contulit. Nam interemtos cremavit: captivósque indulgenter habuit, & sinè pretio restituit. Missísque deinde legatis in Urbem, omni modo annixus est, ut in amicitiam reciperetur. Sed bello & pace, foris & domi, omnem in partem Romana virtus tum se approbavit: nec alia magis, quàm Tarentina victoria ostendit populi Romani fortitudinem, senatûs sapientiam, ducum magnanimitatem. Quinam illi fuerunt viri, quos ab elephantis primo prœlio obtritos accepimus? omnium vulnera in pectore: quidam hostibus suis immortui: omnium in manibus enses: & relictæ in vultibus minæ: & in ipsâ morte ira vivebat. Quod adeò Pyrrhus miratus est, ut diceret, *O quàm facile erat orbis imperium occupare, aut mihi Romanis militibus, aut me rege Romanis!* Quæ autem eorum, qui superfuerunt, in reparando exercitu festinatio? quum Pyrrhus, *Video me*, inquit, *planè Herculis sydere procreatum, cui quasi ab angue Lernæo, tot cæsa hostium capita de sanguine suo renascuntur.* Qui autem ille senatus fuit? quum perorante Appio Cæco, pulsi cum muneribus suis ab Urbe legati, interroganti regi suo, Quid de hostium sede sentirent, *Urbem templum sibi visam, senatum regum consessum esse*, confiterentur. Qui porrò ipsi duces? vel in castris? quum medicum venale regis Pyrrhi caput offerentem, Curius remisit: Fabricius oblatam sibi à rege imperii partem repudiavit: vel in pace? quum Curius fictilia sua Samnitico præferret auro; Fabricius decem pondo argenti circa Rufinum consularem virum, quasi luxuriam, censoriâ gravitate damnaret. Quis ergo miretur his moribus, virtute, militiâ, victorem populum Romanum fuisse? unóque bello Tarentino intrà quadriennium maximam partem Italiæ, fortissimas gentes, opulentissimas

urbes, uberrimáſque regiones in ditionem redegiſſe? Aut quid adeò fidem ſuperet, quàm ſi principia belli cum exitu conferantur? Victor primo prœlio Pyrrhus, totâ tremente Campaniâ, Lirim, Fregellásque populatus, propè captam Urbem à Prænestinâ arce proſpexit: & à viceſimo lapide, oculos trepidæ civitatis fumo ac pulvere implevit. Eodem poſtea bis exuto caſtris, bis ſaucio, & in Græciam ſuam trans mare ac terras fugato, pax & quies; & tanta adeò de opulentiſſimis tot gentibus ſpolia, ut victoriam ſuam Roma non caperet. Nec enim temere ullus pulchrior in Urbem, aut ſpecioſior triumphus intravit. Ante hunc diem nihil, niſi pecora Volſcorum, greges Sabinorum, carpenta Gallorum, fracta Samnitum arma vidiſſes: tum ſi captivos aſpiceres; Moloſſi, Theſſali, Macedones, Bruttius, Apulus, atque Lucanus: ſi pompas; aurum, purpura, ſigna, tabulæ, Tarentináque deliciæ. Sed nihil libentiùs Populus Romanus aſpexit, quàm illas quas timuerat, cum turribus ſuis, belluas: quæ non ſinè ſenſu captivitatis, ſummiſſis cervicibus, victores equos ſequebantur.

CAP. XIX. *Bellum Picenum.*

OMnis mox Italia pacem habuit. Qui enim poſt Tarentum auderent? niſi quòd ultro perſequi ſocios hoſtium placuit. Domiti ergo Picentes, & caput gentis Aſculum, Sempronio duce: qui tremente inter prœlium campo, Tellurem deam, promiſsâ æde, placavit.

CAP. XX. *Bellum Sallentinum.*

SAllentini Picentibus additi, capútque regionis Brundiſium cum inclyto portu, Marco Atilio duce. Et in hôc certamine, victoriæ pretium templum ſibi paſtoria Pales ultro poposcit.

CAP.

CAP. XXI. *Bellum Volſinenſe.*

POſtremi Italicorum in fide manſere Volſini, opulentiſſimi Etruſcorum, implorantes opem adverſùs ſervos quondam ſuos: qui libertatem à dominis datam in ipſos erexerant: tranſlatâque in ſe republicâ, dominabantur. Sed hi quoque, duce Fabio Gurgite, pœnas dederunt.

CAP. XXII. *De Seditionibus.*

HÆC eſt ſecunda ætas populi Romani, & quaſi Adoleſcentia; quâ maximè viruit, & quodam flore virtutis exarſit, ac feibuit. Ita, quæ inerat, quædam adhuc ex paſtoribus feritas, quiddam ſpirabat indomitum. Indè eſt, quòd exercitus Poſthumium Imperatorem, inficiantem quas promiſerat prædas, factâ in caſtris ſeditione, lapidavit: quòd ſub Appio Claudio noluit vincere hoſtem, quum poſſet: quòd duce Volerone, detrectantibus pleriſque militiam, fracti conſulis faſces: indè, quòd clariſſimos principes, quum adverſarentur voluntati ſuæ, exulatione multavit: ut, Coriolanum colere agros jubentem; nec minùs ille ferociter injuriam armis vindicâſſet, niſi quòd jam inferentem ſigna filium mater Veturia lacrymis ſuis exarmavit: ut ipſum Camillum, quòd inique inter plebem & exercitum diviſiſſe Veientem prædam videretur. Sed hic melior obſeſſis, in captâ Urbe conſenuit: & mox ſupplices de hoſte Gallo vindicavit. Cum Senatu quoque vehementiùs æquo bonóque certatum eſt; adeò ut relictis ſedibus ſolitudinem & interitum patriæ ſuæ minaretur.

CAP. XXIII.

PRima diſcordia ob impotentiam fœneratorum: quibus in terga quoque ſerviliter ſævientibus, in ſacrum montem plebs armata ſeceſſit: ægréque, nec niſi Tribunos impetrâſſet, Menenii Agrippæ facundi & ſapientis viri auctoritate, revocata eſt. Extat ora-

rionis antiquæ satis efficax ad concordiam fabula, quâ *Dissedisse inter se quondam humanos* dixit *artus, quòd omnibus opere fungentibus, solus venter immunis ageret: deinde moribundos à sejunctione rediisse in gratiam, quando sensissent, quòd ejus operâ redactis in sanguinem cibis irrigarentur.*

CAP. XXIV.

SEcundam in Urbe mediâ, decemviratûs libido conflavit. Allatas à Græciâ leges, decem principes lecti, jubente populo conscripserant: ordinatáque erat in duodecim tabulis tota justitia: quum tamen traditos fasces regio quodam furore retinebant. Ante cæteros Appius eò insolentiæ elatus est, ut ingenuam virginem stupro destinaret, oblitus & Lucretiæ, & regum, & juris quod ipse composuerat. Itaque quum oppressam judicio filiam trahi in servitutem videret Virginius pater, nihil cunctatus, in medio foro manu suâ interfecit: admotisque signis commilitonum, totam eam dominationem obsessam armis, in carcerem & catenas ab Aventino monte detraxit.

CAP. XXV.

TErtiam seditionem excitavit matrimoniorum dignitas; ut plebeii cum patriciis jungerentur: qui tumultus in monte Janiculo, duce Canuleio Tribuno plebis, exarsit.

CAP. XXVI.

QUartam honorum cupido, ut plebeii quoque magistratus crearentur. Fabius Ambustus duarum pater, alteram Sulpicio patricii sanguinis dederat; alteram plebeio Stoloni: hæc quodam tempore, quòd lictoriæ virgæ sonum ignotum penatibus suis expaverat, à sorore satis insolenter irrisa, injuriam non tulit. Itaque nactus tribunatum, honorum & magistratuum consortium, quamvis invito senatui extorsit. Verùm

in his ipsis seditionibus principem Populum non immeritò suspexeris. Siquidem nunc libertatem, nunc pudicitiam, tum natalium dignitatem, honorum decora & insignia vindicavit; intérque hæc omnia, nullius acrior custos, quam Libertatis fuit; nullâque in pretium ejus potuit largitione corrumpi; quum, ut in magno, & in dies majore populo, interim pernicioſi cives existerent. Spurium Cassium, Agrariâ lege; Mælium, largitione suspectum regiæ dominationis, præsenti morte multavit. ac de Spurio quidem supplicium pater ipsius sumpsit: hunc Quinctii dictatoris imperio, in medio foro magister equitum Servilius Ahala confodit. Manlium vero Capitolii vindicem, quia plerosque debitorum liberaverat, altiùs se & incivilius efferentem, ab illâ quam defenderat, arce dejecit. Talis domi ac foris; talis pace belloque populus Romanus, fretum illud Adolescentiæ, id est, secundam imperii ætatem habuit; in quâ totam inter Alpes frémumque Italiam armis subegit.

LIBER II.

CAP. I. *Proœmium.*

DOmitâ subactâque Italiâ, Populus Romanus propè quingentesimum annum agens, quum bonâ fide adolevisset; si quod est robur, si qua juventas: tum ille verè robustus, & juvenis, & par orbi terrarum esse cœpit. Ita (mirum, & incredibile dictu) qui propè quingentis annis domi luctatus est (adeò difficile fuerat dare Italiæ caput) his ducentis annis, qui sequuntur, Africam, Europam, Asiam, totum denique orbem terrarum bellis victoriisque peragravit.

CAP. II. *Primum bellum Punicum.*

IGitur victor Italiæ Populus, quum à terrâ fretum usque venisset, more ignis, qui obvias populatus incendio sylvas, interveniente flumine abrumpitur, paulisper substitit. Mox quum videret opulentissimam in proximo prædam, quodammodo Italiæ suæ abscissam, & quasi revulsam; adeò cupiditate ejus exarsit, ut quatenus nec mole jungi, nec pontibus posset, armis bellóque jungenda, & ad continentem suum revocanda bello videretur. Sed ecce ultro ipsis viam pandentibus fatis, nec occasio defuit; quum de Pœnorum impotentiâ, fœderata Siciliæ civitas Messana quereretur. Affectabat autem ut Romanus, ita Pœnus Siciliam; & eodem tempore, paribus uterque votis ac viribus, imperium orbis agitabat. Igitur specie quidem socios juvandi, re autem sollicitante prædâ; quanquam territaret novitas rei (tanta tamen in virtute fiducia est) ille rudis, ille pastorius populus, veréque terrester, ostendit nihil interesse virtutis, equis an navibus, terrâ an mari dimicaretur. Appio Claudio consule primùm, fretum ingressus est, fabulosis infame monstris, æstúque violentum: sed adeò non est exterritus, ut illam ipsam ruentis æstûs violentiam pro munere amplecteretur: statímque ac sinè morâ Hieronem Syracusanum regem tantâ celeritate vicit, ut ille ipse se priùs victum, quàm hostem videret, fateretur. Duillio Cornelióque consulibus, etiam mari congredi ausus est. Tum quidem ipsa velocitas classis comparatæ, auspicium fuit. Intrà enim sexagesimum diem quàm cæsa sylva fuerat, centum sexaginta navium classis in anchoris stetit; ut non arte factæ, sed quodam munere deorum conversæ in naves, atque mutatæ arbores viderentur. Prœlii verò forma mirabilis: quum illas celeres volucréque hostium naves, hæ graves tardæque comprehenderent. Longè illis nauticæ artes, detorquere remos, & ludificari fugâ rostra. Injectæ enim ferreæ manus, machinæque aliæ, ante certamen

certamen multùm ab hoste derisæ: coactíque hostes quasi in solido decernere. Victor ergo apud Liparas, mersâ & fugatâ hostium classe, primum illum maritimum egit triumphum. Cujus quod gaudium fuit? quum Duillius Imperator, non contentus unius diei triumpho, per vitam omnem, ubi à cœnâ rediret, prælucere funalia, præcinere sibi tibias jussit, quasi quotidie triumpharet. Præ tantâ victoriâ leve hujus prœlii damnum fuit. Alter consulum interceptus Asina Cornelius; qui simulato colloquio evocatus, atque ita oppressus fuit; perfidiæ Punicæ documentum. Calatino Dictatore, ferè omnia præsidia Pœnorum, Agrigento, Drepanis, Panormo, Eryce, Lilybæo detraxit. Trepidatum est semel circa Camerinensium saltum: sed eximiâ virtute Calpurnii Flammæ tribuni militum evasimus, qui lectâ trecentorum manu, infestum & insessum ab hostibus tumulum occupavit, adeóque moratus hostem, dum exercitus omnis evaderet: ac sic pulcherrimo exitu, Thermopylarum & Leonidæ famam adæquavit: hôc illustrior noster, quòd expeditioni tantæ superfuit & supervixit, licèt nihil scripserit sanguine. Lucio Cornelio Scipione, quum jam Sicilia suburbana esset populi Romani provincia, serpente latiùs bello, in Sardiniam annexámque Corsicam transit: ubi & sic Caralæ urbis excidio incolas terruit, adeóque omnes terrâ, mari Pœnos expugnavit, ut jam victoriæ nihil nisi Africa ipsa restaret. Marco Attilio Regulo duce jam in Africam navigabat bellum, nec deerant, qui ipso Punici maris nomine ac terrore deficerent, augente insuper Tribuno Mannio metum: in quem, nisi paruisset, securi districtâ, Imperator metu mortis navigandi fecit audaciam. Mox ventis remísque properatum est: tantúsque terror hostici adventûs Pœnis fuit, ut apertis penè portis Carthago caperetur. Prima belli præmium fuit civitas Clypea: prima enim à Punico littore quasi arx & specula procurrit. Et hæc, & trecenta amplius castella vastata sunt. Nec cum hominibus, sed cum

monstris quoque dimicatum est; quum quasi in vindictam Africæ nata, miræ magnitudinis serpens, posita apud Bragadam castra vexaret. Sed omnium victor Regulus quum terrorem nominis sui latè circumtulisset; quúmque magnam vim juventutis, ducésque ipsos, aut cecidisset, aut haberet in vinculis: classémque urgenti prædâ onustam, & triumpho gravem, in Urbem præmisisset; jam ipsam belli caput Carthaginem urgebat obsidio, ipsísque portis inhærebat. Hìc paululum circumacta fortuna est, tantùm, ut plura essent Romanæ virtutis insignia: cujus ferè magnitudo calamitatibus approbatur. Nam conversis ad externa auxilia hostibus; quum Xanthippum illis ducem Lacedæmon misisset, à viro militiæ peritissimo vincimur. Tum fœdâ clade, Romanísque usu incognitâ, vivus in manus hostium venit fortissimus imperator. Sed ille quidem par tantæ calamitati fuit. Nam nec Punico carcere infractus est, nec legatione susceptâ: quippe diversa, quàm hostes mandaverant, cénsuit; ne pax fieret, ne commutatione captivorum reciperetur. Sed nec illo voluntario ad hostes suos reditu, nec ultimo, sive carceris, sive crucis supplicio deformata majestas, imò his omnibus admirabilior, quid aliud quàm victus de victoribus, atque etiam, quia Carthago non cesserat, de fortunâ triumphavit? Populus autem Romanus multo acrior infestiórque pro ultione Reguli, quàm pro victoriâ fuit. Metello igitur consule spirantibus altiùs Pœnis, & reverso in Siciliam bello, apud Panormum sic hostes cecidit, ut nec ampliùs eam insulam concitarent. Argumentum ingentis victoriæ, centum circiter elephantorum captivitas: sic quoque magna præda, si gregem illum non bello, sed venatione cepisset. Appio Claudio consule, non ab hostibus, sed à diis ipsis superatus est, quorum auspicia contempserat; ibi statim classe demersâ, ubi ille præcipitari pullos jusserat, quòd pugnare ab his vetaretur. Marco Fabio Buteone consule, classem hostium in Africo mari apud Ægimurum, jam in Italiam ultro navigantem cecidit. Quantus ò tunc triumphus tempestate intercidit, quum opulenta præda classis, adversis acta ventis, naufragio suo Africam & Syrtes, omnium imperia gentium, insularum littora, implevit! Magna clades: sed non sinè aliquâ principis populi dignitate; interceptam tempestate victoriam, & triumphum periisse naufragio: & tamen, quum Punicæ prædæ omnibus promontoriis insulísque frustrarentur & fluitarent, populus Romanus triumphavit. Lutatio Catulo consule tandem bello finis impositus, apud insulas, quibus nomen Ægates. Nec major aliàs in mari pugna; quippe commeatibus, exercitu, propugnaculis, armis gravis hostium classis, & in eâ quasi tota Carthago: quod ipsum exitio fuit. Romana classis prompta, levis, expedita, & quodam genere castrensis: ad similitudinem pugnæ equestris, sic remis, quasi habenis agebatur: & in hos vel in illos mobilia rostra, speciem viventium præferebant. Itaque momento temporis laceratæ hostium rates, totum inter Siciliam Sardiniámque pelagus naufragio suo operuerunt. Tanta denique fuit illa victoria, ut de excidendis hostium mœnibus non quæreretur. Supervacuum visum est, in arcem murósque sævire, quum jam in mari esset deleta Carthago.

CAP. III. *Bellum Ligusticum.*

PEracto Punico bello, sequuta est brevis sanè, & quasi ad recipiendum spiritum requies: argumentúmque pacis, & bonâ fide cessantium armorum, tunc primùm post Numam clausa porta Jani fuit: sed statim ac sinè morâ patuit. Quippe jam Ligures, jam Insubres Galli, nec non & Illyrii lacessebant: sic desub Alpibus, id est, desub ipsius Italiæ faucibus, gentes, deo quodam assiduè incitante, ne rubiginem ac situm scilicet arma sentirent: denique utrique quotidiani, & quasi domestici hostes tirocinia militum imbuebant: nec aliter utrâque gente quàm quasi cote quâdam, populus Romanus ferrum suæ acuebat vir-

tutis. Ligures imis Alpium jugis adhærentes inter Varum & Macram flumen, implicitóſque dumis ſylveſtribus, major aliquanto labor erat invenire, quàm vincere. Tuti locis, & fugâ, durum atque velox genus, ex occaſione magìs latrocinia, quàm bella faciebat. Itaque quum diu multúmque eluderent Salyi, Deceates, Oxybii, Euburiates, Ingauni, tandem Fulvius latebras eorum ignibus ſepſit: Bæbius in plana deduxit: Poſthumius ita exarmavit, ut vix reliquerit ferrum quo terra coleretur.

CAP. IV. *Bellum Gallicum.*

GAllis Inſubribus, & his accolis Alpium, animi ferarum, corpora pluſquam humana erant: ſed experimento deprehenſum eſt, quippe ſicut primus impetus eis major quàm virorum eſt, ita ſequens minor quàm feminarum. Alpina corpora humenti cœlo educata habent quiddam ſimile cum nivibus ſuis: quæ mox ut caluere pugnâ, ſtatim in ſudorem eunt; & levi motu, quaſi ſole, laxantur. Hi ſæpe & aliàs, ſed Britomaro duce *non priùs ſoluturos ſe baltea, quàm Capitolium aſcendiſſent*, juraverant. Factum eſt: victos enim Æmilius in Capitolio diſcinxit. Mox Arioviſto duce vovere *de noſtrorum militum prædâ Marti ſuo torquem.* Intercepit Jupiter votum: nam de torquibus eorum aureum trophæum Jovi Flaminius erexit. Viridomaro rege *Romana arma Vulcano* promiſerant; aliorſum vota ceciderunt: occiſo enim rege, Marcellus tertia poſt Romulum patrem Feretrio Jovi arma ſuſpendit.

CAP. V. *Bellum Illyricum.*

ILlyrii, ſeu Liburni ſub extremis Alpium radicibus agunt, inter Arſiam, Titiúmque flumen, longiſſimè per totum Adriani maris littus effuſi. Hi regnante Teutanâ muliere, populationibus non contenti, licentiæ ſcelus addiderunt. Legatos quippe noſtros, ob ea quæ deliquerant, jure agentes, nec gladio quidem, ſed ut victimas, ſecuri percutiunt: præfectos navium igni comburunt; idque quo indignius foret, mulier imperabat. Itaque Cnæo Fulvio Centimalo duce, latè domantur. Strictæ in principum colla ſecures legatorum manibus litavere.

CAP. VI. *Bellum Punicum ſecundum.*

POſt primum Punicum bellum vix quadriennii requies: ecce alterum bellum: minus quidem ſpatio (nec enim amplius quàm decem & octo annos habet) ſed adeò cladium atrocitate terribilius, ut ſi quis conferat damna utriuſque populi, ſimilior victo ſit populus qui vicit. Urebat nobilem populum ablatum mare, captæ inſulæ, dare tributa, quæ jubere conſueverat. Hinc ultionem puer Annibal ad aram patri juraverat: nec morabatur. Igitur in causâ belli Sanguntus deleta eſt; vetus Hiſpaniæ civitas & opulenta, fideíque erga Romanos magnum quidem ſed triſte monumentum: quam in libertatem communi fœdere exceptam, Annibal cauſas novorum motuum quærens, & ſuis, & ipſorum manibus evertit, ut Italiam ſibi rupto fœdere aperiret. Summa fœderum Romanis religio eſt: itaque ad auditum ſociæ civitatis obſidium, memores icti cum Pœnis quoque fœderis, non ſtatim ad arma procurrunt, dum priùs more legitimo queri malunt. Interim jam novem menſibus feſſi fame, machinis, ferro, versâ denique in rabiem fide, immanem in foro excitant rogum: tum deſuper ſe ſuóſque cum omnibus opibus ſuis ferro & igni corrumpunt. Hujus tantæ cladis auctor Annibal poſcitur. Tergiverſantibus Pœnis, dux legationis, *Quæ*, inquit, *mora eſt?* Fabius. *In hôc ego ſinu bellum pacémque porto: utrum eligitis?* Succlamantibus: *Bellum. Bellum igitur*, inquit, *accipite:* & excuſſo in mediam curiam togæ gremio, non ſinè horrore, quaſi planè ſinu bellum ferret, effudit. Similis exitus belli initio fuit: nam quaſi has inferias ſibi Sanguntinorum ultimæ diræ in illo publico parricidio incendió-

que mandâssent: ita manibus eorum, vastatione Italiæ, captivitate Africæ, ducum & regum, qui id gessêre bellum, exitio parentatum est. Igitur ubi semel se in Hispaniâ movit illa gravis & luctuosa Punici belli vis atque tempestas; destinatúmque Romanis jam diu fulmen, Saguntino igne conflavit: statim quodam impetu rapta, medias perfregit Alpes; & in Italiam ab illis fabulosæ altitudinis nivibus, velut cœlo missa, descendit. Ac primi quidem impetûs turbo inter Padum & Ticinum valido statim fragore detonuit. Tunc Scipione duce fusus exercitus. Saucius etiam ipse venisset in manus hostium imperator, nisi protectum patrem prætextatus admodum filius ab ipsâ morte rapuisset. Hic erit Scipio, qui in exitium Africæ crescit, nomen ex malis ejus habiturus. Ticino Trebia succedit: hìc secunda belli Punici procella desævit, Sempronio consule: tunc callidissimi hostes frigidum & nivalem nacti diem, quum se ignibus priùs oleóque fovissent (horribile dictu) homines à meridie & sole venientes nostrâ nos hyeme vicerunt. Trasimenus lacus tertium fulmen Annibalis, imperatore Flaminio: ibi quoque ars nova Punicæ fraudis: quippe nebulâ lacûs, palustribúsque virgultis tectus eques, terga subitò pugnantium invasit. Nec de diis possumus queri: imminentem quippe temerario duci cladem prædixerant insidentia signis examina, & aquilæ prodire nolentes, & commissam aciem sequutus ingens terræ tremor: nisi illum horrorem soli, equitum virorúmque discursus, & mota vehementiûs arma fecerunt. Quartum, id est, penè ultimum vulnus imperii Cannæ; ignobilis Apuliæ vicus: sed magnitudine cladis emersit; & quadraginta millium cæde parta nobilitas. Ibi in exitium infelicis exercitûs, dux, terra, cœlum, dies, tota denique rerum natura consensit. Siquidem non contentus simulatis transfugis Annibal, qui mox terga pugnantium ceciderunt, insuper callidissimus imperator, patentibus in campis, observato loci ingenio, quòd & sol ibi acerrimus, &

plurimus pulvis, & Eurus ab Oriente semper quasi ad constitutum, ita instruxit aciem, ut Romanis adversùs hæc omnia obversis, quasi secundum cœlum tenens, vento, pulvere, sole pugnaret. Itaque duo maximi exercitus cæsi ad hostium satietatem, donec Annibal diceret militi suo, *Parce ferro.* Ducum effugit alter, alter occisus est: dubium uter majore animo. Paullum puduit, Varro non desperavit. Documenta cladis, cruentus aliquandiu Aufidûs: pons de cadaveribus, jussu ducis factus in torrente Vergelli; modii duo anulorum Carthaginem missi, dignitásque equestris taxata mensura. Dubium deinde non erat, quin ultimum illum diem habitura fuerit Roma, quintúmque intrà diem epulari Annibal in Capitolio potuerit, si (quòd Pœnum illum dixisse Adherbalem Bomilcaris ferunt) *Annibal quemadmodum sciret vincere, sic uti victoriâ sciisset.* Tum quidem illum, ut dici vulgò solet, aut fatum urbis imperaturæ, aut ipsius mens mala, & aversi à Carthagine dii, in diversum abstulerunt. Quum victoriâ posset uti, frui maluit, relictâque Româ, Campaniam Tarentúmque peragrare: ubi mox & ipse, & exercitûs ardor elanguit: adeò ut verum dictum sit; *Capuam Annibali Cannas fuisse.* Siquidem invictum Alpibus, indomitum armis, Campaniæ (quis crederet?) soles, & tepentes fontibus Baiæ, subegerunt. Interim respirare Romanus, & quasi ab inferis emergere. Arma non erant; detracta sunt templis: deerat juventus; in sacramentum militiæ liberata servitia: egebat ærarium: opes suas libens senatus in medium protulit; nec præter quod in bullis singulísque annulis erat, quicquam sibi auri reliquere. Eques sequutus exemplum, imitatæque equitem tribus: denique vix sufficere tabulæ, vix scribarum manus, Lævino Marcellóque consulibus, quum privatæ opes in publicum deferrentur. Quid autem in deligendis Magistratibus, quæ centuriarum sapientia, quum juniores à senioribus consilium de creandis consulibus petivere? Quippe adversùs hostem

totiens victorem, tam callidum, non virtute tantùm, sed suis etiam pugnare consiliis oportebat. Prima redeuntis, & ut sic dixerim, revivisscentis imperii spes Fabius fuit: qui novam de Annibale victoriam commentus est, non pugnare. Hinc illi cognomen novum, & Reipublicæ salutare, *Cunctator*. Hinc illud ex populo, ut *Imperii scutum* vocaretur. Itaque per Samnium totum, per Falernos Gauranósque saltus sic maceravit Annibalem, ut qui frangi virtute non poterat, morâ comminueretur. Indè Claudio Marcello duce etiam congredi ausus est. Cominus venit, & pepulit è Campaniâ suâ, & ab obsidione Nolæ urbis excussit. Ausus & Sempronio Graccho duce per Lucaniam sequi, & premere terga cedentis: quamvis tunc (ó pudor!) manu servili pugnaret. Nam hucusque tot mala compulerant: sed libertate donati, fecerant de servitute Romanos. O horribilem in tot adversis fiduciam! ó singularem animum ac spiritum populi Romani! tam artis afflictisque rebus, quum de Italiâ suâ dubitaret, ausus est tamen in diversa respicere, quumque hostes in jugulo per Campaniam Apuliámque volitarent, mediámque de Italiâ Africam facerent; eodem tempore & hunc sustinebat, & in Siciliam, Sardiniam, Hispaniam, divisa per terrarum orbem arma mittebat. Sicilia mandata Marcello, nec diu restitit. Tota enim insula in unâ urbe superata est. Grande illud, & antè id tempus, invictum caput Syracusæ, quamvis Archimedis ingenio defenderentur, aliquando cesserunt. Longè illi triplex murus, totidémque arces, portus ille marmoreus, & fons celebratus Arethusæ: nisi quòd hactenus profuere, ut pulchritudini victæ urbis parceretur. Sardiniam Gracchus arripuit: nihil illi gentium feritas, insanorúmque (nam sic vocantur) immanitas montium profuere. Sævitum in urbes, urbémque urbium Caralim, ut gens contumax, villsque morti, saltem desiderio patrii soli domaretur. In Hispaniam missi Cnæus & Publius Scipiones, pæne totam Pœnis eri-

puerant: sed insidiis Punicæ fraudis oppressi rursus amiserunt, magnis quidem illi prœliis, quum Punicas opes cecidissent: sed Punicæ insidiæ alterum ferro castra metantem, alterum quum evasisset in turrim, cinctum facibus oppresserunt. Igitur in ultionem patris ac patrui missus cùm exercitu Scipio, cui tam grande de Africâ nomen fata decreverant, bellatricem illam, viris armisque nobilem Hispaniam, illam seminarium hostilis exercitûs, illam Annibalis eruditricem, (incredibile dictu) totam à Pyrenæis montibus in Herculis columnas & Oceanum recuperavit: nescias citiùs, an feliciùs: quàm velociter, quatuor anni fatentur: quàm facilè, vel una civitas probat: eodem quippe, quo obsessa est die, capta est: omenque Africanæ victoriæ fuit, quòd tam facilè victa est Hispana Carthago. Certum est tamen, ad profligandam provinciam maximè profecisse singularem ducis sanctitatem: quippe qui captivos pueros, puellásque præcipuæ pulchritudinis, barbaris restituerit, ne in conspectum quidem suum passus adduci, nequid de virginitatis integritate delibâsse saltem oculis videretur. Hæc inter diversa terrarum populus Romanus: nec ideò tamen Italiæ viscéribus inhærentem summovere poterat Annibalem. Pleraque ad hostem defecerant: & dux acerrimus contrà Romanos Italicis quoque viribus utebatur. Jam tamen eum plerisque oppidis & regionibus excusseramus. Tarentus ad nos redierat: jam & Capua, sedes & domus, & patria altera Annibalis, tenebatur: cujus amissio tantum Pœno duci dolorem dedit, ut indè totis viribus Romam converteretur. O populum dignum orbis imperio! dignum omnium favore, & admiratione hominum ac deorum! Compulsus ad ultimos metus, ab incepto non destitit, & de suâ Urbe sollicitus, Capuam tamen non omisit: sed parte exercitûs sub Appio consule relictâ, parte Flaccum in urbem sequutâ, absens simul, præsénsque pugnabat. Quid ergo miramur, moventi castra à tertio lapide Annibali, iterum ip-

os Deos, Deos inquam, (nec fateri pudebit) restitisse? Tanta enim ad singulos illius motus vis imbrium effusa, tanta ventorum violentia coorta est, ut divinitus hostem summoveri; neque cœlo, sed ab Urbis ipsius mœnibus, & Capitolio ferri videretur. Itaque fugit, & cessit, & in ultimum se Italiæ recepit sinum, quum Urbem tantùm non adoratam reliquisset. Parva res dictu, sed ad magnanimitatem populi Romani probandam satìs efficax: quòd illis ipsis, quibus obsidebatur diebus, ager, quem Annibal castris insederat, venalis Romæ fuit, hastæque subjectus invenit emptorem. Voluit Annibal contrà fiduciam imitari; subjecítque argentarias Urbis tabernas: nec sector inventus est: ut scias, etiam præsagia fatis fuisse. Nihil actum erat tantâ virtute, tanto favore etiam deorum: siquidem Asdrubal frater Annibalis, cùm exercitu novo, novis viribus, novâ belli mole veniebat. Actum erat proculdubio, si vir ille se cùm fratre junxisset: sed hunc quoque castrametantem Claudius Nero cum Livio Salinatore debellat. Nero in ultimo Italiæ angulo summovebat Annibalem. Livius in diversissimam partem, id est, in ipsas nascentis Italiæ fauces, signa converterat. Tanto, id est, omni, quà longissima Italia, solo interjacente, quo consilio, quâ celeritate, consules castra conjunxerint, inopinantémque hostem collatis signis compresserint, neque id fieri Annibal senserit, difficile dictu est. Certè Annibal re cognitâ, quum projectum fratris caput ad sua castra vidisset, *Agnosco*, inquit, *infelicitatem Carthaginis*. Hæc fuit illius viri, non sinè præsagio quodam fati imminentis, prima confessio. Jam certum erat, Annibalem, etiam ipsius confessione, posse vinci: sed tot rerum prosperarum fiduciâ plenus populus Rominus, magni æstimabat asperrimum hostem in suâ Africâ debellare. Duce igitur Scipione, in ipsam Africam totâ mole conversus, imitari cœpit Annibalem, & Italiæ suæ clades in Africam vindicare. Quas ille (dii boni!) Asdrubalis copias, quos Syphacis exercitus fudit? quæ quantáque utriusque castra facibus illatis unâ nocte delevit? denique jam non à tertio lapide, sed ipsas Carthaginis portas obsidione quatiebat. Sic factum est, ut inhærentem atque incubantem Italiæ extorqueret Annibalem. Non fuit major sub imperio Romano dies, quàm ille, quum duo omnium & antea & postea ducum maximi, ille Italiæ, hic Hispaniæ victor, collatis cominus signis direxere aciem. Sed & colloquium fuit inter ipsos de legibus pacis. Steterunt diu mutuâ admiratione defixi: ubi de pace non convenit, signa cecinere. Constat utriusque confessione, *nec melius instrui aciem, nec acrius potuisse pugnari*. Hoc Scipio de Annibalis, Annibal de Scipionis exercitu prædicaverunt. Sed tamen Annibal cessit; præmiúmque victoriæ Africa fuit, & sequutus Africam statim terrarum orbis.

CAP. VII. *Bellum Macedonicum primum.*

POst Carthaginem vinci neminem puduit. Sequutæ sunt statim Africam gentes, Macedonia, Græcia, Syria, cæteráque omnia, quodam quasi æstu, & torrente fortunæ. Sed primi omnium Macedones, affectator quondam imperii populus: itaque quamvis tunc Philippus regno præsideret, Romani tamen dimicare sibi cum rege Alexandro videbantur. Macedonicum bellum nomine amplius, quàm spectatione gentis fuit. Causa cœpit à fœdere Philippi, quo rex jampridem dominantem in Italiâ Annibalem sibi sociaverat: postea crevit, implorantibus Athenis auxilium contra regis injurias, quum ille ultra jus victoriæ in templa, aras, & sepulcra ipsa sæviret. Placuit senatui opem tantis ferre supplicibus. Quippe jam gentium reges, duces, populi, nationes, præsidia sibi ab hâc urbe petebant. Primo igitur Lævino consule populus Romanus Ionium mare ingressus, tota Græciæ littora veluti triumphanti classe peragravit. Spolia quippe Siciliæ, Sardiniæ, Hispaniæ, Africæ præferebat; manifestam vi-

ctoriam nata in prætoriâ puppe laurus pollicebatur. Aderat sponte in auxilium Attalus rex Pergamenorum: aderant Rhodii, nauticus populus: qui navibus à mari, consul à terris, omnia equis virisque quatiebat. Bis victus rex, bis fugatus, bis exutus castris: quum tamen nihil terribilius Macedonibus fuit ipso vulnerum aspectu: quæ non spiculis, non sagittis, nec ullo Græculo ferro, sed ingentibus pilis, nec minoribus adacta gladiis, ultra mortem patebant. Enimvero Flaminio duce invios antea Chaonum montes, Aoúmque amnem per abrupta vadentem, id est, ipsa Macedoniæ clavstra penetravimus. Introisse, victoria fuit: nam nunquam postea ausus congredi rex, ad tumulos, quos Cynocephalas vocant, uno, ac ne hôc quidem justo prœlio opprimitur. Et illi quidem consul pacem dedit, regnúmque concessit: mox, ne quid esset hostile, Thebas, & Eubœam, & grassantem sub Nabide suo Lacedæmona compescuit. Græciæ verò veterem statum reddidit, ut legibus viveret suis, & avitâ libertate frueretur. Quæ gaudia, quæ vociferationes fuerunt, quum hoc fortè Nemeæ in theatro, quinquennalibus ludis à præcone caneretur? quo certavere plausu? quid florum in consulem profuderunt? Et iterum iterúmque præconem repetere illam vocem jubebant, quâ libertas Achaiæ pronunciabatur: nec aliter illâ consulari sententiâ, quàm modulatissimo aliquo tibiarum, aut fidium cantu, fruebantur.

CAP. VIII. *Bellum Syriacum regis Antiochi.*

MAcedoniam statim, & regem Philippum Antiochus excepit, quodam casu, quasi industriâ, sic adgubernante fortunâ, ut quemadmodum ab Africâ in Europam, sic ab Europâ in Asiam, ultro se suggerentibus causis, imperium procederet, & cum terrarum orbis situ, ipse ordo victoriarum navigaret. Non aliud formidolosius famâ bellum fuit: quippe quum Persas, & orientem, Xerxem, atque Darium cogitarent; quando perfossi invii montes, quando velis opertum mare

nunciaretur: ad hoc cœlestes minæ territabant, quum humore continuo Cumanus Apollo sudaret. Sed hic faventis Asiæ suæ numinis timor erat. Nec sanè viris, opibus, armis, quicquam copiosius Syriâ: sed in manus tam ignavi regis inciderat, ut nihil fuerit in Antiocho speciosius, quàm quòd à Romanis victus est. Impulere regem in id bellum, illinc Thoas Ætoliæ princeps, inhonoratam apud Romanos querens adversùs Macedones militiæ suæ societatem: hinc Annibal, qui in Africâ victus, profugus, & pacis impatiens, hostem populo Romano toto orbe quærebat. Et quod illud fuisset periculum, si se consiliis ejus rex tradidisset, id est, si Asiæ viribus usus fuisset miser Annibal? Sed rex suis opibus, nomine regio fretus, satis habuit bellum movere. Europa jam dubio procul jure ad Romanos pertinebat: hìc Lysimachiam urbem, in littore Thracio positam à majoribus suis, Antiochus ut hæreditario jure reposcebat: hôc velut sidere, Asiatici belli mota tempestas. Et maximus regum, contentus fortiter indixisse bellum, quum ingenti strepitu ac tumultu movisset ex Asiâ, occupatis statim insulis, Græciæque littoribus, otia & luxus tanquam victor agitabat. Eubœam insulam continenti adhærentem tenui freto, reciprocantibus aquis Euripus abscidit. Hìc ille positis aureis sericisque tentoriis, sub ipso freti murmure, quum inter fluenta tibiis fidibúsque concineret, collatis undique, quamvìs per hyemem, rosis, ne non aliquo ducem genere agere videretur, virginum puerorúmque delectus habebat. Talem ergo regem jam suâ luxuriâ debellatum, populus Romanus Acilio Glabrione consule, in insulâ aggressus, ipso statim adventûs sui nuncio coëgit ab insulâ fugere. Tum præcipitem apud Thermopylas assequutus, locum trecentorum Laconum speciosâ cæde memorandum, ne ibi quidem fiduciâ loci resistentem, mari ac terrâ cedere coëgit. Statim & è vestigio itur in Syriam. Classis regia Polyxenidæ Annibalique commissa: nam rex prœlium nec spectare poterat: igitur

duce Æmilio Regillo, adremigantibus Rhodiis, tota laceratur. Ne sibi placeant Athenæ; in Antiocho vicimus Xerxem; in Æmilio, Themistoclem æquavimus; Ephesiis Salamina pensavimus. Tum consule Scipione, cui frater ille modò victor Carthaginis Africanus voluntariâ legatione aderat, debellari regem placet: & jam toto cesserat mari; sed nos imus ulteriùs. Mæandrum ad amnem, montémque Sipylum, castra ponuntur. Hìc rex, incredibile dictu, quibus auxiliis, quibus copiis confederat! trecenta millia peditum; equitum, falcatorúmque curruum non minor numerus. Elephantis ad hoc immensæ magnitudinis, auro, purpurâ, argento, & suo ebore fulgentibus, aciem utrinque vallaverat. Sed hæc omnia præpedita magnitudine suâ; ad hoc imbre, qui subitò superfusus, mirâ felicitate Persicos arcus corruperat; primùm trepidatio, mox fuga, dehinc triumphus fuerunt. Victo & supplici pacem atque partem regni dari placuit, eò libentiùs, quòd tam facilè cessisset.

CAP. IX. *Bellum Ætolicum.*

SYriatico bello successit, ut debebat, Ætolicum. Victo quippe Antiocho, Romanus faces Asiatici belli persequebatur. Ergo Fulvio Nobiliori mandata ultio est. Hic protinus caput gentis Ambraciam, regiam Pyrrhi, machinis quatit. Sequuta deditio est. Aderant Ætolorum precibus Attici, Rhodii: & memineramus auxilii: sic placuit ignoscere. Serpsit tamen latiùs in proximos bellum, omnémque latè Cephaleniam, Zacynthon: & quicquid insularum in eo mari inter Ceraunios montes jugúmque Maleum, Ætolici belli accessio fuerunt.

CAP. X. *Bellum Histricum.*

HIstri sequuntur Ætolos: quippe bellantes eos nuper adjuverant: & initia pugnæ prospera hosti fuerunt, eadémque exitii causa. Nam quum Cnæi Manlii castra cepissent, opimæque prædæ incubarent;

epulantes, ac ludibundos plerosque, ac ubi esset, præ poculis nescientes, Appius Pulcher invadit. Sic cum sanguine & spiritu malè partam revomuere victoriam. Ipse rex Apulo, equo impositus, quum subinde crapulâ & capitis errore lapsaret, captum se vix & ægre, postquam experrectus est, didicit.

CAP. XI. *Bellum Gallogræcum.*

GAllogræciam quoque Syriaci belli ruina convolvit: fuerant inter auxilia regis Antiochi. An fuissent, an cupidus triumphi Manlius eos visos simulaverit, dubium est. Certè negatus est victori triumphus; quia causam belli non approbavit. Cæterùm gens Gallogræcorum, sicut ipsum nomen indicio est, mixta, & adulteratæ reliquiæ Gallorum, qui Brenno duce vastaverant Græciam: mox Orientem sequuti, in mediâ Asiæ parte sederunt. Itaque ut frugum semina mutato solo degenerant, sic illa genuina feritas eorum, Asiaticâ amœnitate mollita est. Duobus itaque prœliis fusi fugatíque sunt: quamvìs sub adventu hostis relictis sedibus, in altissimos se montes recepissent, quos Tolostobogi, Tectosagíque jam insederant. Utrique fundis sagittísque acti, in perpetuam se pacem dediderunt. Sed alligati miraculo quodam fuere, quum catenas morsibus & ore tentâssent, quum offocandas invicem fauces præbuissent. Nam Orgiagontis regis uxor à centurione stuprum passa, memorabili exemplo custodiam evasit, revulsúmque militis caput ad maritum suum retulit.

CAP. XII. *Bellum Macedonicum secundum.*

DUM aliæ aliæque gentes Syriaci belli sequuntur ruinam, Macedonia se rursus erexit. Fortissimum populum memoria & recordatio suæ nobilitatis agitabat: & successerat Philippo filius Perses; qui semel in perpetuum victam esse Macedoniam, non putabat ex gentis dignitate. Multo vehementiùs sub hôc Macedones, quàm sub patre consurgunt;

quippe Thracas in vires suas traxerant: atque ita industriam Macedonum, viribus Thracum; ferociam Thracum, disciplinâ Macedonum temperaverunt. Accessit his consilium ducis, qui situm regionum suarum summo speculatus Hæmo, positis per abrupta castris, ita Macedoniam suam armis ferróque vallaverat, ut non reliquisse aditum, nisi à cœlo venturis hostibus videretur. Nam Marcio Philippo consule eam provinciam ingressus populus Romanus, exploratis diligenter accessibus per Astrudem paludem, per acerbos dubiosque tumulos, illa quæ volucribus quoque videbantur invia, accessit: regémque securum, & nihil tale metuentem, subitâ belli irruptione terruit. Cujus tanta trepidatio fuit, ut pecuniam omnem in mare jusserit mergi, ne periret: classem cremari, ne incenderetur. Paullo consule quum majora & crebra essent imposita præsidia, per alias vias Macedonia deprensa est; summâ quidem arte & industriâ ducis, quum aliâ minatus, aliâ irrepsisset. Cujus adventus ipse adeò terribilis regi fuit, ut interesse non auderet, sed gerenda ducibus bella mandaverit. Absens ergo victus, fugit in maria, insulámque Samothracen, fretus celebri religione, quasi templa & aræ possent defendere, quem nec montes sui, nec arma potuissent. Nemo regum diutiùs amissæ fortunæ conscientiam retinuit. Supplex quum scriberet ad imperatorem ab illo quo confugerat templo, nomènque epistolæ notaret suum, *regem* addidit. Sed nec reverentior captæ majestatis alius Paullo fuit. Quum in conspectum veniisset hostis, in templum recepit, & conviviis adhibuit, liberósque admonuit suos, ut fortunam, cui tantum liceret, revererentur. Inter pulcherrimos hunc quoque populus Romanus de Macedoniâ duxit atque vidit triumphum: quippe cujus spectaculo triduum impleverit. Primus dies signa tabulásque: sequens arma, pecuniásque transvexit: tertius captivos, ipsúmque regem, attonitum adhuc, tanquam subito malo stupentem. Sed multo priùs gaudium victoriæ populus Romanus, quàm epistolis victoris perceperat: quippe eodem die, quo victus Perses in Macedoniâ, Romæ cognitum est. Duo juvenes candidis equis apud Juturnæ lacum pulverem & cruorem abluebant: hi nunciavere. Castorem & Pollucem fuisse creditum vulgo, quòd gemini fuissent, interfuisse bello, quòd sanguine maderent: à Macedoniâ venire, quòd adhuc anhelarent.

CAP. XIII. *Bellum Illyricum.*

MAcedonici belli contagio traxit Illyrios. Ipsi quidem ut Romanum à tergo distringerent, à Perse rege conducti pecuniâ, militavere. Sinè morâ ab Anicio prærore subiguntur. Scordam caput gentis delesse suffecit: statim sequuta deditio est. Denique hoc bellum antè finitum est, quàm geri Romæ nunciaretur.

CAP. XIV. *Bellum Macedonicum tertium.*

QUodam fato, quasi ita conveniisset inter Pœnos & Macedonas, ut tertio quoque vincerentur, eodem tempore utrique arma moverunt: sed prior jugum excutit Macedo, aliquanto quàm antè gravior, dum contemnitur. Causa belli propè erubescenda: quippe regnum pariter & bellum vir ultimæ sortis Andriscus invaserat; dubium liber an servus, mercenarius certè: sed quia vulgo ex similitudine Philippi, *Pseudophilippus* vocabatur, regiam formam, regium nomen, animo quoque regio implevit. Igitur dum hæc ipsa contemnit populus Romanus, Juventio prætore contentus, virum non Macedonicis modò, sed Thraciæ quoque auxiliis ingentibus validum, temere tentavit: invictúsque à veris regibus, ab illo imaginario & scenico rege superatur. Sed consule Merello, amissum cum legione prætorem, plenissimè ultus est. Nam & Macedoniam servitute multavit: & ducem belli deditum ab eo, ad quem confugerat, Thraciæ regulo, in Urbem in catenis reduxit; hoc quoque illi

in malis indulgente fortunâ, ut de eo populus Romanus, quasi de vero rege triumpharet.

CAP. XV. *Bellum Punicum tertium.*

TErtium cum Africâ bellum, & tempore exiguum, (nam quadriennio patratum est) & in comparatione priorum, minimum labore: (non enim tam cum viris, quàm cum ipsâ urbe pugnatum est) sed planè maximum eventu: quippe eo tandem Carthago finita est. Atque si quis trium temporum momenta consideret, primo commissum bellum, profligatum secundo, tertio verò confectum est. Sed hujus causa belli, quòd contra fœderis legem adversùs Numidas quidem semel parâsset classem & exercitum, frequens autem Masinissæ fines territabat. Sed huic bono socióque regi favebatur. Quum bellum fœderet, de belli fine tractatum est. Cato inexpiabili odio delendam esse Carthaginem, & quum de alio consuleretur, pronunciabat: Scipio Nasica servandam, ne metu ablato æmulæ urbis, luxuriare felicitas Urbis inciperet. Medium senatus elegit, ut urbs tantùm loco moveretur. Nihil enim speciosius videbatur quàm esse Carthaginem, quæ non timeretur. Igitur Manilio Censorinóque consulibus, populus Romanus aggressus Carthaginem, spe pacis injectâ, traditam à volentibus classem, sub ipso ore urbis incendit. Tum evocatis principibus, *si salvi esse vellent, ut migrarent finibus*, imperatum. Quod pro rei atrocitate adeò movit iras, ut extrema mallent. Comploratum igitur publicè statim, & pari voce clamatum est, Ad arma: seditque sententia, quoquo modo rebellandum: non quia spes ulla jam superesset, sed quia patriam suam mallent hostium quàm suis manibus everti. Qui rebellantium fuerit furor, vel hinc intelligi potest, quòd in usum novæ classis tecta domûsque resciderunt: in armorum officinis, aurum & argentum pro ære ferróque conflatum est: in tormentorum vincula, matronæ crines suos contulerunt. Mancino deinde Consule, terrâ marique fervebat obsidio. Operis portus nudatus; & primus, & sequens, jam, & tertius murus; quum tamen Byrsa, quod nomen arci fuit, quasi altera civitas resistebat. Quamvis profligato urbis excidio, tamen fatale Africæ nomen Scipionum videbatur. Igitur in alium Scipionem conversa Respublica, finem belli reposcebat. Hunc Paullo Macedonico procreatum, Africani illius magni filius, in decus gentis assumserat, hôc scilicet fato, ut quam urbem concusserat avus, nepos ejus everteret. Sed ut quàm maximè mortiferi esse morsus solent morientium bestiarum; sic plus negotii fuit cum semirutâ Carthagine, quàm integrâ; compulsis in unam arcem hostibus, portum quoque maris Romanus obsederat. Illi alterum ibi portum, ab aliâ urbis parte foderunt: nec ut fugerent, sed quia nemo illos hàc evadere posse credebat. Indè quasi enata subitò classis erupit: quum interim jam diebus, jam noctibus, nova aliqua moles, nova machina, nova perditorum hominum manus, quasi ex obruto incendio subita de cineribus flamma, prodibat. Deploratis novissimè rebus, quadraginta se millia virorum dediderunt: quod minùs credas, duce Asdrubale. Quanto fortiùs femina, & uxor ducis? quæ comprehensis duobus liberis, à culmine se domûs in medium misit incendium, imitata reginam, quæ Carthaginem condidit. Quanta urbs deleta sit, ut de cæteris taceam, vel ignium morâ probari potest: quippe per continuos decem & septem dies vix potuit incendium extingui, quod domibus ac templis suis sponte hostes immiserant: ut quatenus urbs eripi Romanis non poterat, triumphus arderet.

CAP. XVI. *Bellum Achaicum.*

QUasi sæculum illud eversionibus urbium curreret, ita Carthaginis ruinam statim Corinthus excepit, Achaiæ caput, Græciæ decus, inter duo maria, Ionium & Ægæum, quasi spectaculo exposita. Hæc (facinus indignum!) antè oppressa est, quàm in nu-

merum certorum hostium referretur. Critolaus causa belli: qui libertate à Romanis datâ adversùs ipsos usus est: legatósque Romanos, dubium an & manu, certè oratione violavit. Igitur Metello, ordinanti tum maximè Macedoniam, mandata est ultio: & hinc Achaicum bellum. ac primam Critolai manum Metellus Consul, per patentes Elidis campos, toto cecîdit Alpheo. Et uno prœlio peractum erat bellum: jam & urbem ipsam terrebat obsidio: sed (fata rerum!) quum Metellus dimicâsset, ad victoriam Mummius venit. Hic alterius ducis Dixi latè exercitum sub ipsis Isthmi faucibus fudit, geminósque portus sanguine infecit. Tandem ab incolis deserta civitas, direpta primùm, deinde tubâ præcinente, deleta est. Quid signorum, quid vestium, quídve tabularum raptum, incensum atque projectum est! Quantas opes & abstulerit & cremaverit, hinc scias, quòd quicquid Corinthii æris toto orbe laudatur, incendio superfuisse comperimus. Nam & æris notam preciosiorem ipsa opulentissimæ urbis fecit injuria: quia incendio permistis plurimis statuis atque simulacris, æris, auri, argentíque venæ in commune fluxere.

CAP. XVII. *Res in Hispaniâ gestæ.*

UT Carthaginem Corinthus, ita Corinthum Numantia sequuta est. Nec deinde toto orbe quicquam intactum armis fuit. Post illa duo clarissima urbium incendia, latè atque passim, nec per vices, sed simul pariter quasi unum undique bellum fuit; prorsus ut illæ urbes, quasi agitantibus ventis diffudisse quædam belli incendia toto orbe viderentur. Hispaniæ nunquam animus fuit adversùs nos universæ consurgere: nunquam conferre vires suas libuit, neque aut imperium experiri, aut libertatem tueri suam publicè: alioquin ita undique mari Pyrenæóque vallata est, ut ingenio situs nec adiri quidem potuerit. Sed antè à Romanis obsessa est, quàm se ipsa cognosceret; & sola omnium provinciarum vires suas, postquam

victa est, intellexit. In hâc propè ducentos per annos dimicatum est, à primis Scipionibus in Cæsarem Augustum, non continuè nec cohærenter, sed prout causæ lacessierant: nec cum Hispanis initio, sed cum Pœnis in Hispaniâ: indè contagio & series causáque bellorum. Prima per Pyrenæum jugum signa Romana Publius & Cnæus Scipiones intulerunt: prœlióque ingentibus Annonem & Asdrubalem fratrem Annibalis ceciderunt: raptáque erat impetu Hispania, nisi fortissimi viri in ipsâ suâ victoriâ, oppressi Punicâ fraude cecidissent, terrâ marique victores. Igitur quasi novam integrámque provinciam ultor patris & patrui Scipio ille, mox Africanus, invasit: ísque statim captâ Carthagine, & aliis urbibus, non contentus Pœnos expulisse, stipendiariam nobis provinciam fecit: omnem citra ultráque Iberum subjecit imperio: primúsque Romanorum ducum, victor ad Gades & Oceani ora pervenit. Plus est provinciam retinere, quàm facere: itaque per partes jam huc, jam illuc missi duces, qui ferocissimas, & ad id temporis liberas gentes, ideo impatientes jugi, multo labore, nec incruentis certaminibus servire docuerunt. Cato ille Censorius Celtiberos, id est robur Hispaniæ, aliquot prœliis fregit. Gracchus, pater ille Gracchorum, eósdem centum & quinquaginta urbium eversione multavit. Metellus ille, qui ex Macedoniâ cognomen meruit, quum & Contrebiam memorabili cepisset exemplo & Nertobriges, majori gloriâ pepercit. Lucullus Turdulos, atque Vaccæos: de quibus Scipio ille posterior, singulari certamine, quum à rege fuisset provocatus, opima retulerat. Decimus Brutus aliquanto latiùs, Celticos Lusitanósque, & omnes Gallæciæ populos, formidatúmque militibus flumen Oblivionis: peragratóque victor Oceani littore, non priùs signa convertit, quàm cadentem in maria solem, obrutúmque aquis ignem, non sinè quodam sacrilegii metu & horrore, deprehendit. Sed tota certaminum moles cum Lusitanis fuit & Numantinis: nec immeritò. Quip-

pe ſolis gentium Hiſpaniæ duces contigerunt. Fuiſſet & cum omnibus Celtiberis, niſi dux illius motûs initio belli oppreſſus eſſet, ſummus vir aſtu & audaciâ, ſi res ceſſiſſet, Salondicus: qui haſtam argenteam quatiens, velut cœlo miſſum, vaticinanti ſimilis, omnium in ſe mentes converterat. Sed quum pari temeritate ſub nocte caſtra conſulis adiiſſet, juxta tentorium ipſum pilo vigilis exceptus eſt. Cæterùm Luſitanos Viriatus erexit, vir calliditatis acerrimæ: qui ex venatore latro, ex latrone ſubitò dux atque imperator, & ſi fortuna ceſſiſſet, Hiſpaniæ Romulus, non contentus libertatem ſuorum defendere, per quatuordecim annos omnia citra ultráque Iberum & Tagum, igni, ferróque populatus; caſtra etiam prætorum, & præſidium aggreſſus, Claudium Unimanum pæne ad internecionem exercitus cecidit, & inſignia trabeis & facibus noſtris, quæ ceperat, in montibus ſuis trophæa fixit: tandem etiam Fabius Maximus conſul oppreſſerat: ſed à ſucceſſore Pompilio violata victoria eſt: quippe qui conficiendæ rei cupidus, fractum ducem, & extrema deditionis agitantem, per fraudem, & inſidias, & domeſticos percuſſores aggreſſus, hanc hoſti gloriam dedit, ut videretur aliter vinci non potuiſſe.

CAP. XVIII. *Bellum Numantinum.*

NUmantia, quantùm Carthaginis, Capuæ, Corinthi opibus inferior, ita virtutis nomine & honore par omnibus, ſummúmque, ſi viros æſtimes, Hiſpaniæ decus: quippe quæ ſinè muro, ſinè turribus, modicè edito in tumulo apud flumen Durium ſita, quatuor milibus Celtiberorum, quadraginta millium exercitum, per annos quatuordecim ſola ſuſtinuit; nec ſuſtinuit modò, ſed ſæpius aliquanto perculit, pudendiſque fœderibus affecit. Noviſſimè quum invictam eſſe conſtaret, opus quoque eo fuit, qui Carthaginem everterat. Non temere, ſi fateri licet, ullius cauſa belli injuſtior. Segulenſes, ſocios & conſanguineos, Romanorum manibus elapſos exceperant: habita pro eis deprecatio nihil valuit: quum ii ab omni bellorum contagione removerent, in legitimi fœderis pretium juſſi *arma deponere*. Hoc ſic à barbaris acceptum, quaſi manus abſcinderentur. Itaque ſtatim, Megará viro fortiſſimo duce, ad arma converſi, Pompeium prœlio aggreſſi: fœdus tamen maluerunt, quum debellare potuiſſent. Hoſtilium deinde Mancinum: hunc quoque aſſiduis cædibus ita ſubegerunt, ut ne oculos quidem aut vocem Numantini viri quiſquam ſuſtineret. Tamen cum hôc quoque fœdus maluere, contenti armorum manubiis, quum ad internecionem ſævire potuiſſent. Sed non minùs Numantini, quàm Caudini illius fœderis flagrans ignominiâ ac pudore populus Romanus, dedecus quidem præſentis flagitii, deditione Mancini expiavit: cæterùm duce Scipione, Carthaginis incendiis ad excidia urbium imbuto, tandem etiam in ultionem excanduit. Sed tunc acriùs in caſtris, quàm in campo, noſtro cum milite, quàm cum Numantino, prœliandum fuit. Quippe aſſiduis & injuſtis & ſervilibus maximè operibus attriti, ferre plenius vallum, qui arma neſcirent; luto inquinari, qui ſanguine nollent, jubebantur. Ad hoc ſcorta, calones, ſarcinæ niſi ad uſum neceſſariæ, amputantur. Tanti eſſe exercitum, quanti imperatorem, verè proditum eſt. Sic redacto in diſciplinam milite, commiſſa acies: quódque nemo viſurum ſe unquam ſperaverat, factum eſt, ut fugientes Numantinos quiſquam videret. Dedere etiam ſeſe volebant, ſi toleranda viris imperarentur. Sed quum Scipio veram vellet & ſinè exceptione victoriam, eò neceſſitatum compulſi primùm, ut deſtinatâ morte in prœlium ruerent, quum ſeſe priùs epulis, quaſi inferiis, impleviſſent, carnis ſemicrudæ, & celiæ: ſic vocant indigenam ex frumento potionem. Intellectum ab imperatore conſilium: itaque non eſt permiſſa pugna morituris. Quum foſsâ, atque loricâ, quatuórque caſtris circumdatos fames premeret; ab duce orantes prœlium, ut tanquam viros occideret, ubi non impe-

trabant, placuit eruptio. Sic consertâ manu plurimi occisi: quum urgeret fames, aliquantisper indè vixere. novissimè consilium fugæ sedit: sed hoc quoque, ruptis equorum cingulis, uxores ademere, summo scelere, per amorem. Itaque deplorato exitu, in ultimam rabiem furorémque conversi, postremò mori hôc genere destinârunt: duces suos, séque, patriámque, ferro & veneno, subjectóque undique igne peremerunt. Macte fortissimam, & meo judicio beatissimam in ipsis malis civitatem! asseruit cum fide socios, populum orbis terrarum viribus fultum, suâ manu, ætate tam longâ, sustinuit. Novissimè, maximo duce oppressâ civitas, nullum de se gaudium hosti reliquit. Unus enim vir Numantinus non fuit, qui in catenis duceretur. Præda, ut de pauperibus, nulla: arma ipsi cremaverant. Triumphus fuit tantùm de nomine.

Cap. XIX.

Hactenus populus Romanus pulcher, egregius, pius, sanctus, atque magnificus: reliqua sæculi ut grandia æquè, ita vel magis turbida & fœda; crescentibus cum ipsâ magnitudine imperii vitiis: adeò ut si quis hanc tertiam ejus ætatem transmarinam, quam ducentorum annorum fecimus, dividat; centum hos priores, quibus Africam, Macedoniam, Siciliam, Hispaniam domuit, *aureos*, (sicut poëtæ canunt) jure meritóque fateatur: centum sequentes, *ferreos* planè & cruentos, & si quid immanius: quippe qui Jugurthinis, Cimbricis, Mithridaticis, Parthicis bellis, Gallicis atque Germanicis, quibus cœlum ipsum gloria ascendit, Gracchanas, Drusianásque cædes, ad hoc Servilia bella miscuerunt: & nequid turpitudini desit, Gladiatoria. Denique, in se ipse conversus, Marianis atque Sullanis, novissimè Pompeii, & Cæsaris manibus, quasi per rabiem, & furorem, & nefas semet ipse laceravit. Quæ etsi involuta inter se sunt omnia atque confusa: tamen quò meliùs appareant, simul & ne scelera virtutibus obstrepant, separatim proferentur

rentur: priúsque, ut cœpimus, justa illa & pia cum exteris gentibus bella memorabimus; ut magnitudo crescentis in dies imperii appareat. rum ad illa civium scelera, turpésque & impias pugnas revertemur.

Cap. XX. *Bellum Asiaticum.*

Victâ ad Occasum Hispaniâ, populus Romanus ad Orientem pacem agebat; nec pacem modò; sed inusitatâ & incognitâ quâdam felicitate, relictæ regiis hæreditatibus opes, & tota insimul regna veniebant. Attalus rex Pergamenorum, regis Eumenis filius, socii quondam commilitonísque nostri, testamentum reliquit: *Populus Romanus bonorum meorum hæres esto.* In bonis regis hæc fuerant. Aditâ igitur hæreditate, provinciam populus Romanus, non quidem bello nec armis; sed, quod est æquius, testamenti jure retinebat. Sed hanc, difficile dictu est, utrùm faciliùs amiserit, an recuperaverit. Aristonicus regii sanguinis ferox juvenis, urbes regibus parere consuetas, partim facilè sollicitat: paucas resistentes, Myndum, Samon, Colophonem, vi recipit. Crassi quoque prætoris cecidit exercitum, ipsúmque cepit. Sed ille memor & familiæ, & Romani nominis, custodem sui barbarum virgulâ excæcat: in exitium sui, quod volebat, ita concitat. Mox à Perpernâ domitus, & captus, & per deditionem in vinculis habitus. Aquilius Asiatici belli reliquias confecit, mixtis (nefas!) veneno fontibus ad deditionem quarundam urbium. Quæ res ut maturam, ita infamem fecit victoriam: quippe quum contra fas deûm, moréque majorum, medicaminibus impuris, in id tempus sacrosancta Romana arma violâsset.

LIBER III.

CAP. I. *Bellum Jugurthinum.*

HÆC ad Orientem, sed non ad Meridianam plagam eadem quies. Quis speraret post Carthaginem aliquod in Africâ bellum? Atqui non leviter se Numidia concussit: & fuit in Jugurthâ, quod post Annibalem timeretur. Quippe rex callidissimus populum Romanum armis inclytum & invictum, opibus aggressus est: & citra spem omnium fortuna cessit, ut rex fraude præcipuus, fraude caperetur. Hic avo Masinissâ, & Micipsâ patre per adoptionem, quum interficere fratres statuisset, agitatus regni cupiditate, nec illos magis, quàm senatum populúmque Romanum, quorum in fide & clientelâ regnum erat, metueret: primùm scelus mandat insidiis: potitúsque Hiempsalis capite, quum se in Adherbalem convertisset, ísque Romam profugisset, missâ per legatos pecuniâ traxit in sententiam suam Senatum. Et hæc fuit de nobis ejus prima victoria, Missos deinde, qui regnum inter illum Adherbalémque dividerent, similiter aggressus, quum in Scauro ipsos Romani imperii mores expugnâsset, inchoatum nefas perfecit audaciús. Sed diu non latent scelera: corruptæ nefas legationis erupit: placuítque bello persequi parricidam. Primus in Numidiam Calpurnius Bestia Consul immittitur: sed rex, peritus fortius adversùs Romanos aurum esse quàm ferrum, pacem emit. Cujus flagitii reus, quum interveniente publicâ fide à senatu accerseretur, pari audaciâ & venit, & competitorem imperii Masinissæ Massivam immisso percussore confecit. Hæc altera contra regem fuit causa bellandi: igitur sequens ultio

mandatur Albino. Sed hujus quoque (prò dedecus!) ita corrupit exercitum, ut voluntariâ nostrorum fugâ vinceret Numida, castrísque potiretur: addito etiam turpi fœdere, in pretium salutis, quod priùs emerat, dimisit exercitum. Eodem tempore in ultionem non tam imperii Romani, quàm pudoris, Metellus assurgit: qui callidissimè hostem nunc precibus, nunc minis, jam simulatâ, jam quasi verâ fugâ eludentem, artibus suis aggressus est. Agrorum atque vicorum populatione non contentus, in ipsa Numidiæ capita impetum fecit, & Zamam quidem frustra diu voluit; cæterùm Thalam, gravem armis thesauróque regis, diripuit. Tunc urbibus exutum regem, & jam finium suorum, regnísque fugitivum, per Mauros atque Getuliam sequebatur. Postremò Marius auctis admodum copiis, quum pro obscuritate generis sui capite censos sacramento adegisset, jam fusum & saucium regem adortus, non faciliùs tamen vicit, quàm si integrum & recentem. Hic & urbem Herculi conditam Capsam in mediâ Africâ sitam, anguibus arenísque vallatam, mirâ quâdam felicitate superavit: & saxeo inditam monti Mulucham urbem, per Ligurem, aditu arduo inaccessóque, penetravit. Mox non ipsum modò, sed Bocchum quoque Mauritaniæ regem, jure sanguinis Numidam vindicantem, apud oppidum Cirtam graviter cecidit. Qui ubi, diffisus rebus suis, alienæ cladis accessio fieri timet, pretium fœderis atque amicitiæ, regem facit. Sic fraudulentissimus regum, fraude soceri sui in insidias deductus est, & Sullæ in manum traditus; tandémque opertum catenis Jugurtham in triumpho populus Romanus aspexit. sed ille quoque, quamvis victus, & vinctus, vidit Urbem, quam venalem, & quandoque perituram, si habuisset emptorem, frustra cecinerat. Tamen ut venalis fuisset, habuit emptorem: & quum ille non evaserit, certum erit eam non esse perituram.

CAP. II. *Bellum Allobrogicum.*

SIC ad meridiem populus Romanus. Multo atrociùs, & multipliciter magìs, & à Septemtrione sævitum. Nihil hâc plagâ infestius. Atrox cœlum, perinde ingenia. Omni igitur tractu violentus hostis, à dextris atque lævis, & medio Septemtrionis, erupit. Prima trans Alpes arma nostra sensere Salyi, quum de incursionibus eorum fidissima atque amicissima civitas Massilia quereretur. Allobroges deinde, & Arverni, quum adversùs eos similes Æduorum querelæ opem & auxilium nostrum flagitarent. Varus victoriæ testis, Isaráque, & Vindelicus amnis, & impiger fluminum Rhodanus. Maximus barbaris terror elephanti fuere, immanitati gentium pares. Nil tam conspicuum in triumpho, quàm rex ipse Bituitus, discoloribus in armis, argenteóque carpento, qualis pugnaverat. Utriusque victoriæ quod quantúmque gaudium fuerit, vel hinc existimari potest, quòd & Domitius Ænobarbus, & Fabius Maximus, ipsis quibus dimicaverant in locis, saxeas erexere turres, & desuper exornata armis hostilibus trophæa fixere, quum hic mos inusitatus fuerit nostris. Nunquam enim populus Romanus, hostibus domitis victoriam suam exprobravit.

CAP. III. *Bellum Cimbricum, Theutonicum ac Tigurinum.*

CImbri, Theutoni, atque Tigurini, ab extremis Galliæ profugi, quum terras eorum inundâsset Oceanus, novas sedes toto orbe quærebant: exclusíque Galliâ & Hispaniâ, quum in Italiam remigrarent, misere legatos in castra Silani; indè ad senatum, petentes, *ut Martius populus aliquid sibi terræ daret quasi stipendium: cæterùm, ut vellet, manibus atque armis suis uteretur.* Sed quas daret terras populus Romanus agrariis legibus intrà se dimicaturus? Repulsi igitur, quod nequiverant precibus, armis petere constituunt.

Sed nec primum quidem impetum barbarorum Silanus, nec secundum Manlius, nec tertium Cæpio sustinere potuerunt. Omnes fugati, exuti castris. Actum erat, nisi Marius illi sæculo contigisset. Ille quoque non ausus congredi statim, militem tenuit in castris, donec invicta illa rabies, & impetus, quem pro virtute barbari habent, consenesceret. Recessere igitur increpantes, & (tanta erat capiendæ Urbis fiducia) consulentes, *si quid ad uxores suas mandarent.* Nec segniùs, quàm minati fuerant, tripertito agmine per Alpes, id est claustra Italiæ, ferebantur. Marius mirâ statim velocitate occupatis compendiis, prævenit hostem: priorésque Theutonas sub ipsis Alpium radicibus assequutus, in locum, quem Aquas Sextias vocant, quo, fidem numinum! prœlio oppressit? Vallem fluviúmque medium hostes tenebant; nostris aquarum nulla copia: consultóne id egerit imperator, an errorem in consilium veterit, dubium; certè necessitate aucta virtus, causa victoriæ fuit. Nam flagitante aquam exercitu, *Viri*, inquit, *estis, en illic habetis.* Itaque tanto ardore pugnarum est, eáque cædes hostium fuit, ut victor Romanus de cruento flumine non plus aquæ biberit, quàm sanguinis Barbarorum. Certè rex ipse Theutobochus quaternos senósque equos transilire solitus, vix unum quum fugeret ascendit; proximóque in saltu comprehensus, insigne spectaculum triumphi fuit: quippe vir proceritatis eximiæ super trophæa ipsa eminebat. Sublatis funditus Theutonis, in Cimbros convertitur. Hi jam (quis crederet?) per hyemem, quæ altiùs Alpes levat, Tridentinis jugis in Italiam, provoluti ruinâ descenderant. Atesim flumen non ponte, nec navibus, sed quâdam stoliditate barbaricâ primùm corporibus aggressi; postquam retinere amnem manibus & clypeis frustra tantaverant, ingestâ obrutum sylvâ transiluere: &, si statim infesto agmine Urbem petiissent, grande discrimen esset: sed in Venetiâ, quo ferè tractu Italia molliissima est, ipsâ soli cœlíque clementiâ robur elanguit. Ad hoc panis

usu, carnísque coctæ, & dulcedine vini mitigatos, Marius in tempore aggressus est. Jam diem pugnæ à nostro imperatore petierunt, & sic proximum dedit. In patentissimo, quem Raudium vocant, campo procurrere. Millia indè ad sexaginta ceciderunt; hinc trecentis minus: per omnem diem conciditur barbarus. Istic quoque imperator addiderat virtuti dolum; sequutus Annibalem, artémque Cannarum: primùm, nebulosum nactus diem, ut hosti inopinatus occurreret; tum ventosum quoque, ut pulvis in oculos & ora ferretur; tum acie conversâ in Orientem, ut, quod ex captivis mox cognitum est, ex splendore galearum, ac repercussu, quasi ardere cœlum videretur. Nec minor cum uxoribus eorum pugna, quàm cum ipsis fuit: quum objectis undique plaustris, atque carpentis, altæ desuper quasi è turribus, lanceis contísque pugnarent. Perinde speciosa mors earum fuit quàm pugna. Nam quum missâ ad Marium legatione, libertatem ac sacerdotium non impetrâssent, (nec fas erat) suffocatis elisísque passim infantibus suis, aut mutuis concidere vulneribus, aut vinculo è crinibus suis facto, ab arboribus, jugísque plaustrorum pependerunt. Bojorix rex in acie dimicans, impigre nec inultus occubuit. Tertia Tigurinorum manus, quæ quasi subsidio Noricos insederat Alpium tumulos, in diversa lapsi, fugâ ignobili & latrociniis evanuit. Hunc tam latum, támque felicem liberatæ Italiæ, assertíque imperii nuncium, non per homines, ut solebat, populus Romanus accepit; sed per ipsos, si credere fas est, deos. Quippe eodem die, quo gesta res est, viti pro æde Castoris & Pollucis, juvenes laureati Prætori literas tradere: frequénsque in spectaculo rumor, *Victoriæ Cimbricæ feliciter*, dixit. Quo quid admirabilius, quid insignius fieri potest? Quippe velut elata montibus suis Roma spectaculo belli interesset, quod in gladiatorio munere fieri solet, uno eodémque momento, quum in acie Cimbri succumberent, populus in urbe plaudebat.

CAP.

CAP IV. *Bellum Thracium.*

POst Macedonas, si diis placet, Thraces rebellabant, ipsi quondam tributarii Macedonum: nec in proximas modò provincias contenti incurrere, Thessaliam atque Dalmatiam, in Adriaticum mare usque venerunt; eóque fine contenti, quasi interveniente naturâ, contorta in ipsas aquas tela miserunt. Nihil interim per id omne tempus resíduum crudelitatis fuit in captivos sævientibus: litare diis sanguinem humanum: bibere in ossibus capitum, cujusque modi ludibrio fœdare mortem tam igni quàm fumo: partus quoque gravidarum extorquere tormentis. Sævissimi omnium Thracum Scordisci fuere: sed calliditas quoque ac robur accesserat. Sylvarum & montium situs cum ingenio consentiebant. Itaque non fusus modò ab his, aut fugatus, sed (simile prodigio) omnino totus interceptus exercitus, quem duxerat Cato. Didius vagos, & liberâ populatione diffusos, intrà suam repulit Thraciam. Drusus ulteriùs egit, & vetuit transire Danubium. Minucius toto vastavit Hebro, multis quidem amissis, dum perfidum glacie flumen equitatur. Piso Rhodopen Caucasúmque penetravit. Curio Daciâ tenus venit: sed tenebras saltuum expavit. Appius in Sarmatas usque pervenit; Lucullus ad terminum gentium Tanaim, lacúmque Mæotim. Nec aliter cruentissimi hostium quàm suis moribus domiti; quippe in captivos igne ferróque sævitum est. Sed nihil Barbaris atrocius visum est, quàm quòd abscissis manibus relicti, vivere superstites pœnæ suæ jubebantur.

CAP. V. *Bellum Mithridaticum.*

POnticæ gentes ad Septemtrionem in mare sinistrum jacent, à Pontico cognominatæ mari. Harum gentium atque regionum rex antiquissimus Ætas: pòst Artabazes, à septem Persis oriundus: indè Mithridates omnium longè maximus; quippe quum quatuor Pyrrho, decem & septem anni Annibali suf-

fecerint; ille per quadraginta annos reſtitit, donec tribus ingentibus bellis ſubactus; felicitate Syllæ, virtute Luculli, magnitudine Pompeii conſumeretur. Cauſam quidem illius belli prætenderat apud Caſſium legatum, *attrectari terminos ſuos à Nicomede Bithynico*: cæterùm elatus animis ingentibus, Aſiæ totius, & ſi poſſet, Europæ cupiditate flagrabat. Spem ac fiduciam dabant noſtra vitia. Quippe quum civilibus bellis disjungeremur, invitabat occaſio: nudúmque imperii latus oſtentabant procul Marius, Sylla, Sertorius. Inter hæc Reipublicæ vulnera, & hos tumultus, repentè, quaſi captato tempore, in laſſos ſimul atque diſtrictos, ſubitus turbo Pontici belli, ab ultimâ veluti ſpeculâ Septemtrionis erupit. Primus ſtatim impetus belli Bithyniam rapuit. Aſia deinde pari terrore correpta eſt. Nec cunctanter ad regem ab urbibus noſtris, populiſque deſcitum eſt. Aderat, inſtabat, ſævitiâ quaſi virtute utebatur. Nam quid atrocius uno ejus edicto, quum omnes, qui in Aſiâ forent, Romanæ civitatis homines interfici juſſit? Tum quidem domus, templa & aræ, humana omnia atque divina jura violata ſunt. Sed hic terror Aſiæ, Europam quoque regi aperiebat. Itaque miſſis Archelao Neoptolemóque præfectis, exceptâ Rhodo, quæ pro nobis firmiùs ſtetit, cæterùm Cyclades Delos, Eubœa, & ipſum Græciæ decus Athenæ, tenebantur. Italiam jam, ipſámque urbem Romam regius terror affligebat. Itaque Lucius Sylla feſtinat, vir armis optimus: parſque violentiâ ruentem ulteriùs hoſtem, quâdam quaſi manu, repulit: primúmque Athenas urbem (quis crederet?) frugum parentem, obſidione ac fame ad humanos cibos compulit. Mox ſubruto Piræei portu, ſex quoque & amplius muris, poſtquam domuerat *ingratiſſimos*, ut ipſe dixit, *hominum*, in honorem tamen mortuorum, ſacris ſuis famæque donavit. Mox quum Eubœâ, atque Bœotiâ, præſidia regis diſpuliſſet, omnes copias, uno apud Chæroneam, apud Orchomenon altero bello diſſipavit; ſtatímque in Aſiam tranſgreſſus, ipſum opprimit:

& debellatum foret, niſi de Mithridate triumphare citò, quàm verè, maluiſſet. Ac tunc quidem hunc Aſiæ ſtatum Sylla dederat. Ictum cum Ponticis fœdus. Recepit Bithyniam à rege Nicomede, ab Ariobarzane Cappadociam: ac ſic erat Aſia ruſus noſtra, ut cœperat: Mithridates tantùm repulſus. Itaque non fregit ea res Ponticos, ſed incendit. Quippe rex Aſiâ & Europâ quodammodo ineſcatus, non jam quaſi alienam, ſed quia amiſerat, quaſi raptam belli jure repetebat. Igitur ut extincta parum fideliter incendia majore flammâ reviviſcunt; ita ille de integro, auctis majorem in modum copiis, totâ denique regni ſui mole, in Aſiam ruſus mari, terrâ, fluminibúſque veniebat. Cyzicum nobilis civitas, arce, mœnibus, portu, turribúſque marmoreis, Aſiaticæ plagæ litora illuſtrat. Hanc ille quaſi alteram Romam toto invaſerat bello: ſed fiduciam oppidanis reſiſtendi nuncius fecit, docens adventare Lucullum, qui (horribile dictu!) per medias hoſtium naves utre ſuſpenſus, & pedibus iter adgubernans, videntibus procul quaſi marina piſtrix evaſerat. Mox clade conversâ, quum ex morâ obſidentem regem fames, & ex fame peſtilentia urgeret, recedentem Lucullus aſſequitur: adeóque cecidit, ut Granicus & Æſapus amnes cruenti redderentur. Rex callidus Romanæque avaritiæ peritus, ſpargi à fugientibus ſarcinas & pecuniam juſſit, quâ ſequentes moraretur. Nec felicior in mari, quàm in terrâ fuga. Quippe centum amplius navium claſſem, apparatúmque belli gravem, in Pontico mari aggreſſa tempeſtas, tam fœdâ ſtrage laceravit, ut navalis belli inſtar efficeret: planè quaſi Lucullus quodam cum fluctibus procelliſque commercio, debellandum tradidiſſe regem ventis videretur. Attritæ jam omnes validiſſimi regni vires erant; ſed animus malis augebatur. Itaque converſus ad proximas gentes, totum pæne Orientem, ac Septemtrionem ruinâ ſuâ involvit. Iberi, Caſpii, Albani, & utræque ſollicitabantur Armeniæ: pérque omnia & decus, & nomen, & titulos Pompeio

ſua fortuna quærebat. Qui ubi novis motibus ardere Aſiam videt, alióſque ex aliis prodire reges: nihil cunctandum ratus, priuſquam inter ſe gentium robora coirent, ſtatim ponte navibus facto, omnium ante ſe primus tranſit Euphratem: regémque fugientem mediâ nactus Armeniâ (quanta felicitas viri!) uno prœlio confecit. Nocturna ea dimicatio fuit, & luna in partibus; quippe quaſi commilitans, quum à tergo ſe hoſtibus à facie Romanis præbuiſſet, Pontici per errorem longiùs cadentes umbras ſuas quaſi hoſtium corpora petebant. Et Mithridates quidem nocte illâ debellatus eſt, nihil enim poſtea valuit; quanquam omnia expertus, more anguium, qui obtrito capite, poſtremùm caudâ minantur. Quippe quum effugiſſet hoſtem Colchos, Siciliæ quoque litora, & Campaniam noſtram ſubito adventu terrere voluit: mox ſubruto Pyræei portu, Colchis tenus jungere Boſphoron; indè per Thraciam, Macedoniam & Græciam tranſilire; ſic Italiam nec opinatus invadere, tantùm cogitavit. Nam per defectionem civium, Pharnacíſque filii ſcelere præventus, malè tentatum veneno ſpiritum ferro expulit. Cnæus interim Magnus rebelles Aſiæ reliquias ſequens, per diverſa gentium terrarúmque volitabat. Nam ſub orientem ſequutus Armenios, captis ipſo capite gentis Artaxatis, ſupplicem juſſit regnare Tigranem. At in Septentrionem Scythicum, iter tanquam in mari ſtellis ſequutus, Colchos cecidit; ignovit Iberiæ; pepercit Albanis; regem Colchorum Orodem, poſitis ſub ipſo Caucaſo caſtris, juſſit in plana deſcendere: Arthocen, qui Iberis imperabat, & obſides liberos dare. Orodem etiam remuneratus eſt, ultro ab Albaniâ ſuâ lectulum aureum, & alia dona mittentem. Nec non & in meridiem verſo agmine, Libanum Syriæ, Damaſcúmque tranſgreſſus, per nemora illa odorata, per turis & balſami ſylvas, Romana circumtulit ſigna. Arabes, ſi quid imperaret, præſtò fuere. Hieroſolymam defendere tentavere Judæi: verùm hanc quoque intravit; & vidit illud grande impiæ gentis arcanum patens, ſub aureo vitem cœlo; diſſidentibúſque de regno fratribus, arbiter factus, regnare juſſit Hyrcanum. Ariſtobulo, quia renovabat eam rem, catenas dedit. Sic Pompeio duce populus Romanus totam, quà latiſſima eſt, Aſiam pervagatus, quam extremam habebat imperii provinciam, mediam fecit. Exceptis quippe Parthis, qui fœdus maluerunt, & Indis, qui adhuc nos non noverant; omnis Aſia inter Rubrum mare, & Caſpium, & Oceanum, Pompeianis domita vel oppreſſa ſignis, tenebatur.

CAP. VI. *Bellum Piraticum.*

INterim dum populus Romanus per diverſa terrarum diſtractus eſt, Cilices invaſerant maria: ſublatíſque commerciis, rupto fœdere generis humani, ſic maria bello, quaſi tempeſtate, præcluſerant. Audaciam perditis furioſíſque latronibus dabat inquieta Mithridatis prœliis Aſia: dum ſub alieni belli tumultu, exteríque regis invidiâ, impune graſſantur. Ac primùm duce Iſidoro, contenti proximo mari, Cretam inter atque Cyrenas, Piræum & Achaiam, ſinúmque Maleum, quod à ſpoliis *Aureum* ipſi vocavere, latrocinabantur: miſſúſque in eos Publius Servilius, quamvis leves & fugaces myoparonas gravi & Martiâ claſſe turbaret, non incruentâ victoriâ ſuperat. Sed nec mari ſubmoviſſe contentus, validiſſimas urbes eorum, & diutinâ prædâ abundantes, Phaſelin, & Olympon evertit, Iſaurúmque ipſam arcem Ciliciæ: unde conſcius ſibi magni laboris, *Iſaurici* cognomen adamavit. Non ideo tamen tot cladibus domiti, terrâ ſe continere potuerunt: ſed ut quædam animalia, quibus aquam terrámque incolendi gemina natura eſt, ſub ipſo hoſtis receſſu impatientes ſoli, in aquas ſuas reſiluerunt; & aliquanto latiùs quàm priùs. Sicille quoque antè felix, dignus nunc victoriâ Pompeius viſus eſt; & Mithridaticæ provinciæ factus acceſſio. Ille diſperſam toto mari peſtem, ſemel & in perpetuum volens extinguere, divino quo-

dam apparatu aggressus est. Quippe cùm classibus suis & socialibus Rhodiorum abundaret, pluribus legatis atque præfectis utraque Ponti & Oceani ora complexus est. Gellius Tusco mari impositus; Plotius Siculo. Gratilius Ligusticum sinum, Pompeius Gallicum obsedit, Torquatus Balearicum, Tiberius Nero Gaditanum fretum, quo primum maris nostri limen aperitur; Lentulus Libycum; Marcellinus Ægyptium; Pompeii juvenes Adriaticum; Varro Terentius Ægeum & Ponticum; Pamphylium Metellus; Asiaticum Cæpio; ipsas Propontidis fauces Porcius Cato sic obditis navibus, quasi portam observavit. Sic per omnis æquoris portus, sinus, latebras, recessus, promontoria, freta, peninsulas, quicquid piratarum fuit, quâdam indagine inclusum & oppressum est. Ipse Pompeius in originem fontémque belli Ciliciam versus est: nec hostes detrectavere certamen, non ex fiduciâ, sed quia oppressi erant, ausi videbantur. Sed nihil tamen amplius, quàm ut ad primum ictum concurrerent. Mox ubi circumfusa undique rostra viderunt, abjectis statim telis, remisque, plausu undique pari, quod supplicantium signum fuit, vitam petiverunt. Non aliàs tam incruentâ victoriâ usi unquam sumus: sed nec fidelior in posterum reperta gens ulla est. Idque prospectum singulari consilio ducis, qui maritimum genus à conspectu longè removit maris, & mediterraneis agris quasi obligavit. Eodemque tempore & usum maris navibus recuperavit, & terræ homines suos reddidit. Quid prius in hâc mirere victoriâ? velocitatem, quòd quadragesimo die parta est? an felicitatem, quòd ne una quidem navis amissa est? an verò perpetuitatem, quòd ampliùs piratæ non fuerunt?

CAP. VII. *Bellum Creticum.*

CReticum bellum, si vera volumus noscere, nos fecimus; solâ vincendi nobilem insulam cupiditate; favisse Mithridati videbatur: hoc placuit armis

vindicare. Primus invasit insulam Marcus Antonius, cum ingenti quidem victoriæ spe atque fiduciâ, adeò ut plures catenas in navibus, quàm arma portaret. Dedit itaque pœnas vecordiæ. Nam plerasque naves intercepere hostes: captiváque corpora religata velis ac funibus pependere: ac sic velificantes triumphantium in modum Cretes portibus suis adremigaverunt. Metellus deinde totam insulam igni ferróque populatus, intrà castella & urbes redegit, & Cnossum, & Erythræam, &, ut Græci dicere solent, *urbium matrem* Cydoneam: adeóque sævè in captivos consulebatur, ut veneno se plerique conficerent; alii deditionem suam ad Pompeium absentem mitterent. Et quum ille res in Asiâ gerens, eò quoque præfectum misisset Antonium; in alienâ provinciâ inclytus fuit: eóque infestior Metellus in hostes jus victoris exercuit: victísque Lasthene & Panare Cydoneæ ducibus, victor rediit: nec quicquam amplius tamen de tam famosâ victoriâ, quàm cognomen *Creticum* reportavit.

CAP. VIII. *Bellum Balearicum.*

QUatenus Metelli Macedonici domus bellicis nominibus assueverat; altero ex liberis ejus Cretico facto, mora non fuit, quin alter quoque *Balearicus* vocaretur. Baleares per idem tempus insulæ piraticâ rabie corruperant maria. Homines feros atque sylvestres mireris ausos à scopulis suis saltem maria prospicere. Ascendere etiam inconditas rates, & prænavigantes subinde inopinato impetu terruere. Sed quum venientem ab alto Romanam classem prospexissent, prædam putantes, ausi etiam occurrere: & primo impetu, ingenti lapidum saxorúmque nimbo classem operuerunt. Tribus quisque fundis præliatur. Certos esse quis miretur ictus, quum hæc sola genti arma sint? id unum ab infantiâ studium. Cibum puer à matre non accipit, nisi quem ipsâ monstrante percussit. Sed non diu lapidatione terruere Romanos: postquam cominus ventum est, expertíque rostra, & pila venientia, pecudum in morem clamore sublato, petie-

runt fugâ litora: dilapsíque in proximos tumulos, quærendi fuerunt, ut vincerentur.

CAP. IX. *Expeditio in Cypron.*

ADerat fatum insularum: igitur & Cypros rceepta sinè bello. Insulam veteribus divitiis abundantem, & ob hoc Veneri sacram, Ptolemæus regebat. Sed divitiarum tanta erat fama, nec falsò, ut victor gentium populus, & donare regna consuetus, Publio Clodio Tribuno duce, socii vivíque regis confiscationem mandaverit. Et ille quidem ad rei famam veneno fata præcepit. Cæterùm Porcius Cato Cyprias opes liburnis per Tiberinum ostium invexit: quæ res latiùs ærarium populi Romani, quàm ullus triumphus, implevit.

CAP. X. *Bellum Gallicum.*

ASia Pompeii manibus subacta: reliqua quæ restabant in Europâ, fortuna in Cæsarem transtulit. Restabant autem immanissimi gentium Galli, atque Germani: & quamvis toto orbe divisa, tamen qui vinceret, habuit Britannia. Primus Galliæ motus ab Helvetiis cœpit: qui Rhodanum inter & Rhenum siti: non sufficientibus terris, venere sedes petitum, incensis mœnibus suis; hoc sacramentum fuit, ne redirent. Sed petito tempore ad deliberandum, quum inter moras Cæsar, Rhodani ponte rescisso, abstulisset fugam; statim bellicosissimam gentem sic in sedes suas, quasi greges in stabula pastor, deduxit. Sequens longè cruentior pugna Belgarum; quippe pro libertate pugnantium. Hic cùm multa Romanorum militum insignia, tum illud egregium ipsius ducis, quòd nutante in fugam exercitu, rapto fugientis è manu scuto, in primam volitans aciem, manu prœlium restituit. Indè cum Venetis etiam navale bellum: sed major cum Oceano, quàm cum ipsis navibus rixa: quippe illæ rudes, & informes, & statim naufragæ, quum rostra sensissent. Sed hærebat in vadis pugna; quum æstibus solitis cum ipso certamine subductus

Oceanus intercedere bello videretur. Illæ quoque accessere diversitates pro gentium locorúmque naturâ. Aquitani callidum genus, in speluncas se recipiebant; jussit includi: Morini dilabebantur in sylvas; jussit incendi. Nemo tantùm feroces dixerit Gallos; fraudibus agunt: Induciomarus Treviros, Ambiorix convocavit Eburones: utrique, absente Cæsare, conjuratione factâ invenere legatos. sed ille fortiter à Dolabellâ summotus est, relatúmque regis caput; hic insidiis in valle dispositis, dolo perculit: itaque & castra direpta sunt, & aurum ablatum. Cottam cum Titurio Sabino legato ibi amisimus. Nec ulla de rege mox ultio: quippe perpetuâ trans Rhenum fugâ latuit. Nec Rhenus ergo immunis: nec enim fas erat, ut liber esset receptator hostium atque defensor. Sed prima contra Germanos illius pugna, justissimis quidem ex causis. Hædui enim de incursionibus eorum querebantur. Quæ Arioviſti superbia? Quum legati dicerent, *Veni ad Cæsarem. Quis est autem Cæsar?* &, *Si vult, veniat*, inquit. &, *Quid ad illum, quid agat nostra Germania? num ego me interpono Romanis?* Itaque tantus gentis novæ terror in castris, ut testamenta passim etiam in principiis scriberentur. Sed illa immania corpora, quo erant majora, eò magis gladiis ferróque patuerunt. Qui calor in prœliando militum fuerit, nullo magis exprimi potest, quàm quòd elatis super caput scutis, quum se testudine barbarus tegeret, super ipsa Romani scuta salierunt: & indè in jugulos gladiis descendebant. Iterum de Germano Tencteri querebantur. Hic verò jam Cæsar ultro Mosulam navali ponte transgreditur, ipsúmque Rhenum: & Hercyniis hostem quærit in sylvis: sed in saltus & paludes genus omne diffugerat. Tantum pavoris incussit intrà ripam subitò Romana vis. Nec semel Rhenus, sed iterum quoque, & quidem ponte facto, penetratus est. Sed major aliquanto Trepidatio: quippe quum Rhenum suum sic ponte, quasi jugo captum viderent, fuga rursus in sylvas ac paludes: &, quod acerbissimum Cæsari fuit, non fuere,

qui vincerentur. Omnibus terrâ marique captis, respexit Oceanum: & quasi hic Romanis orbis non sufficeret, alterum cogitavit. Classe igitur comparatâ, Britanniam transit, mirâ celeritate: quippe quum tertiâ vigiliâ Morino solvisset à portu, minùs quàm medio die insulam ingressus est. Plena erant tumultu hostico littora; & trepidantia ad conspectum rei novæ carpenta volitabant. itaque trepidatio pro victoriâ fuit. Arma, & obsides accepit à trepidis: & ulteriùs isset, nisi improbam classem naufragio castigâsset Oceanus. Reversus igitur in Galliam, classe majore, auctisque admodum copiis, in eundem rursus Oceanum, eosdémque rursus Britannos, Calidonias sequutus in sylvas, unum quoque è regibus Cavelanis in vincula dedit. Contentus his (non enim provinciæ, sed nomini studebatur) cum majore quàm priùs prædâ revectus est; ipso quoque Oceano tranquillo magis, & propitio, quasi imparem se fateretur. Sed maxima omnium eadémque novissima conjuratio fuit Galliarum, quum omnes pariter Arvernos atque Biturigas, Carnutas simul Sequanósque contraxit, ille corpore, armis, spiritûque terribilis, nomine etiam quasi terrore composito, Vercingetorix, ille festis diebus, & comitialibus, cùm frequentissimos in lucis haberet, ferocibus dictis ad jus pristinum libertatis erexit. Aberat tunc Cæsar, Ravennæ delectum agens: & hyeme creverant Alpes: sic intercluſum putabant iter. Sed ille qualis erat ad nuncium rei felicissimæ temeritatis? Per invios ad id tempus montium tumulos, per intactas vias, & nives, expeditâ manu emersus, occupat Galliam; & ex distantibus hybernis castra contraxit; & antè in mediâ Galliâ fuit quàm ab ultimâ timeretur. Tum ipsa capita belli aggressus, urbes; Avaricum cum quadraginta millibus propugnantium sustulit: Alexiam ducentorum quinquaginta millium juventute subnixam flammis adæquavit. Circa Gergoviam Arvernorum, tota belli moles fuit: quippe quum octoginta millia muro, & arce, & abruptis defenderent; maximam civitatem vallo,

fudibus, & fossâ, inductóque fossæ flumine, ad hoc decem & octo castellis, ingentique loricâ circundatam primùm fame domuit: mox audentem eruptiones, in vallo, gladiis fudibúsque concidit: novissimè in deditionem redegit. Ipse ille rex, maximum victoriæ decus. supplex quum in castra venisset, tum & phaleras, & sua arma ante Cæsaris genua projecit; *Habes*, inquit, *fortem virum, vir fortissime, vicisti.*

CAP. XI. *Bellum Parthicum.*

DUM Gallos per Cæsarem in Septemtrione debellat, interim ad Orientem grave vulnus à Parthis populus Romanus accepit. Nec de fortunâ queri possumus: caret solatio clades. Adversis & diis, & hominibus, cupiditas consulis Crassi, dum Parthico inhiat auro, undecim strage legionum, & ipsius capite multata est. Et tribunus plebis Metellus, exeuntem ducem hostilibus diris devoverat: quum Zeugma transisset exercitus, rapta subitis signa turbinibus hausit Euphrates: & quum apud Nicephorum castra posuisset, missi ab Orode rege legati denunciavere, *percussorum cum Pompeio fœderum, Syllâque, meminisse.* Regiis inhians ille thesauris, nihil, ne imaginario quidem jure, sed *Seleuciæ se responsurum esse*, respondit. Itaque dii fœderum ultores, nec insidiis, nec virtuti hostium defuerunt. Jam primùm, qui solus & subvehere commeatus, & munire poterat à tergo, relictus Euphrates. Tum simulato transfugæ cuidam Mezeræ Syro creditur, dum in mediam camporum vastitatem eodem duce ductus exercitus, undique hosti exponeretur. Itaque vixdum venerat Carras, quum undique præfecti regis, Sillaces & Surenas, ostendere signa auro fericisque vexillis vibrantia. Tum sinè morâ circumfusi undique equitatus, in modum grandinis atque nimborum densa pariter tela fuderunt. Sic miserabili strage deletus exercitus. Ipse in colloquium sollicitatus, signo dato, vivus in hostium manus incidisset, nisi tribunis re-

luctantibus, fugam ducis barbari ferro occupâssent. Sic quoque relatum caput ludibrio hosti fuit. Filium ducis, pæne in conspectu patris, eisdem telis operuere. Reliquiæ infelicis exercitûs, quò quemque rapuit fuga, in Armeniam, Ciliciam, Syriámque distractæ, vix nuncium cladis retulerunt. Caput ejus recisum cum dexterâ manu, ad regem reportatum, ludibrio fuit, neque indigno. Aurum enim liquidum in rictum oris infusum est: ut cujus animus arserat auri cupiditate, ejus etiam mortuum & exangue corpus auro uereretur.

CAP. XII. *Anacephalæosis.*

HÆC est illa tertia ætas populi Romani transmarina, quâ Italiâ progredi ausus, orbe toto arma circumtulit. Cujus ætatis superiores centum anni sancti, pii, & ut diximus, *aurei*, sinè flagitio, sinè scelere, dum sincera adhuc & innoxia pastoriæ illius sectæ integritas, dúmque Pœnorum hostium imminens metus disciplinam veterem continebat. Postremi centum, quos à Carthaginis, Corinthi, Numantiæque excidiis, & Attali regis Asiaticâ hæreditate deduximus in Cæsarem & Pompeium, sequutúmque hos, de quo dicemus, Augustum, ut claritate rerum bellicarum magnifici, ita domesticis claudibus miseri & erubescendi. Quippe sicut Galliam, Thraciam, Ciliciam, Cappadociam, uberrimas validissimásque provincias, Armenios etiam, & Britannos, ut non in usum, ita ad imperii speciem magna nomina acquisiisse, pulchrum atque decorum: ita eodem tempore dimicâsse domi cum civibus, sociis, mancipiis, gladiatoribus, totóque inter se senatu, turpe atque miserandum. Ac nescio an satius fuerit populo Romano, Siciliâ, & Africâ contento fuisse, aut his etiam ipsis carere, dominanti in Italiâ suâ, quàm eò magnitudinis crescere, ut viribus suis conficeretur. Quæ enim res alia furores civiles peperit, quàm nimia felicitas? Syria prima nos victa corrupit: mox Asiatica Pergameni regis hæreditas. Illæ opes

atque divitiæ afflixere sæculi mores: mersámque vitiis suis, quasi sentinâ, rempublicam pessum dedere. Unde enim populus Romanus à tribunis agros & cibaria flagitaret, nisi per famem, quam luxu fecerat? Hinc ergo Gracchana & prima & secunda, & illa tertia Apuleiana seditio. Unde regnaret judiciariis legibus divulsus à senatu eques, nisi ex avaritiâ, ut vectigalia reipublicæ, atque ipsa judicia in quæstu haberentur? Hinc rursus & promissa civitas Latio, & per hoc arma sociorum. Quid autem bella servilia? unde nobis, nisi ex abundantiâ familiarum? Unde gladiatorii adversùs dominos suos exercitus, nisi ad conciliandum plebis favorem effusa largitio, quum spectaculis indulget, supplicia quondam hostium, artem facit? Jam ut speciosiora vitia tangamus, nónne ambitus honorum ab iisdem divitiis incitatus? Atqui indè Mariana, indè Syllana tempestas. Aut magnificus apparatus conviviorum, & sumptuosa largitio, nónne ab opulentiâ, paritura mox egestatem? Hæc Catilinam patriæ suæ impegit. Denique illa ipsa principatûs & dominandi cupido, unde, nisi ex nimiis opibus venit? Atqui hæc Cæsarem atque Pompeium furialibus in exitium reipublicæ facibus armavit. Hos igitur populi Romani omnes domesticos motus, separatos ab externis justísque bellis, ex ordine prosequemur.

CAP. XIII. *Seditiositas tribuniciæ potestatis.*

SEditionum omnium causas Tribunicia potestas excitavit: quæ specie quidem plebis tuendæ, cujus in auxilium comparata est, re autem dominationem sibi acquirens studium populi ac favorem, agrariis, frumentariis, judiciariis legibus aucupabatur. Inerat omnibus speciebus æquitatis. Quid enim tam justum, quàm recipere plebem jus suum à patribus? ne populus gentium victor, orbísque possessor, extorris aris ac focis ageret. Quid tam æquum, quàm inopem populum vivere ex ærario suo? Quid ad jus libertatis æquandæ magis efficax, quàm ut senatu regente provincias, ordinis o-

queſtris auctoritas ſaltem judiciorum regno niteretur? Sed hæc ipſa in perniciem redibant: & miſera reſpublica in exitium ſuum merces erat. Nam & à ſenatu in equitem tranſlata judiciorum poteſtas, vectigalia, id eſt, imperii patrimonium, ſupprimebat: & emptio frumenti, ipſos Reipublicæ nervos, exhauriebat ærarium. Reduci plebs in agros unde poterat ſinè poſſidentium everſione? qui ipſi pars populi erant, & tamen relictas ſibi à majoribus ſedes, ætate, quaſi jure hæreditario poſſidebant.

CAP. XIV. *Seditio Tiberii Gracchi.*

PRimam certaminum facem Tiberius Gracchus accendit, genere, formâ, eloquentiâ facilè princeps. Sed hic, ſive Mancinianæ deditionis, quia ſponſor fœderis fuerat, contagium timens, & indè popularis: ſive æquo & bono ductus, quia depulſam agris ſuis plebem miſeratus eſt, quacunque mente, rem auſus ingentem, poſtquam rogationis dies aderat, ingenti ſtipatus agmine Roſtra conſcendit: nec deerat obviâ manu tota indè nobilitas, & tribuni in partibus. Sed ubi intercedentem legibus ſuis Cnæum Octavium videt Gracchus, contra fas collegii, jus poteſtatis, injectâ manu depulit Roſtris: adeóque præſenti metu mortis exterruit, ut abdicare ſe magiſtratu cogeretur. Sic triumvir creatus dividendis agris. Quum ad perpetranda cœpta, die comitiorum prorogari ſibi vellet imperium, obviâ nobilium manu, eorúmque quos agris moverat, cædes à foro cœpit. Indè quum in Capitolium profugiſſet, plebémque ad defenſionem ſalutis ſuæ, manu caput tangens, hortaretur, præbuit ſpeciem regnum ſibi & diadema poſcentis: atque ita duce Scipione Naſicâ, concitato in arma populo, quaſi jure oppreſſus eſt.

CAP. XV. *Seditio Caii Gracchi.*

STatim & mortis, & legum fratris ſui vindex non minore impetu incaluit Caius Gracchus: qui cùm pari tumultu atque terrore plebem in avitos agros arceſſeret; & recentem Attali hæreditatem in alimenta populo polliceretur; jámque nimius, & potens altero tribunatu, ſecundâ plebe volitaret: abrogare auſo legibus ſuis Minucio tribuno, fretus comitum manu, fatale familiæ ſuæ Capitolium invaſit. Indè proximorum cæde pulſus, quum ſe in Aventinum recepiſſet; indè quoque obviâ ſenatûs manu, ab Opimio conſule oppreſſus eſt. Inſultatum quoque mortis reliquiis: & illud ſacroſanctum caput Tribuni plebis percuſſoribus auro penſatum eſt.

CAP. XVI. *Seditio Appuleiana.*

NIhilominus Appuleius Saturnius Gracchanas aſſerere leges non deſtitit. Tantum animorum viro Marius dabat: qui nobilitati ſemper inimicus, conſulatu ſuo præterea confiſus, occiſo palàm comitiis Annio competitore Tribunatûs, ſubrogare conatus eſt in ejus locum Caium Gracchum, hominem ſinè tribu, ſinè nomine: ſed ſubdito titulo, in familiam ipſe ſe adoptabat. Quum tot, tantíſque ludibriis exultaret impune, rogandis Gracchorum legibus ita vehementer incubuit, ut Senatum quoque cogeret in verba jurare; quum abnuentibus *aquâ & igni interdicturum ſe minaretur.* Unus tamen extitit, qui mallet exilium. Igitur poſt Metelli fugam omni nobilitate perculsâ, quum jam tertium annum dominaretur, eò veſaniæ progreſſus eſt, ut conſularia quoque comitia novâ cæde turbaret. Quippe ut ſatellitem furoris ſui Glauciam, conſulem faceret, Caium Memmium competitorem interfici juſſit: & in eo tumultu *regem* ſatellitibus ſuis ſe appellatum, lætus accepit. Tum verò jam conſpiratione Senatûs, ipſo quoque jam Mario conſule, quia tueri non poterat, adverſo; directæ in foro acies: expulſus indè, Capitolium invaſit. Sed quum abruptis fiſtulis obſideretur, Senatuíque per legatos pœnitentiæ fidem faceret, ab arce digreſſus, eum ducibus factionis receptus in curiam eſt. Ibi eum factâ irruptione, populus fuſtibus ſaxíſque coopertum in ipsâ quoque morte laceravit.

Cap. XVII. *Druſiana ſeditio.*

Poſtremò Livius Druſus, non tribunatûs modò viribus, ſed ipſius etiam Senatûs auctoritate, totiúſque Italiæ conſenſu, eaſdem leges aſſerere conatus, dum aliud captat ex alio, tantum conflavit incendium, ut ne prima illius flamma poſſet ſuſtineri; & ſubitâ morte correptus, hæreditarium in poſteros ſuos bellum propagaret. Judiciariâ lege Gracchi diviſerant populum Romanum, & bicipitem ex unâ fecerant civitatem: Equites Romani, tantâ poteſtate ſubnixi, ut qui fata fortunáſque principum haberent in manu, interceptis vectigalibus, peculabantur ſuo jure rempublicam: Senatus exilio Metelli, damnatione Rutilii debilitatus, omne decus majeſtatis amiſerat. In hôc ſtatu rerum pares opibus, animis, dignitate, (unde & nata Livio Druſo æmulatio acceſſerat) equitem Servilius Cæpio, Senatum Livius Druſus aſſerere. Signa, & aquilæ, & vexilla aderant: cæterùm ſic urbe in unâ, quaſi in binis caſtris, diſſidebatur. Prior Cæpio in ſenatum impetu facto, reos ambitûs Scaurum & Philippum, principes nobilitatis elegit. His motibus ut reſiſteret Druſus, plebem ad ſe Gracchanis legibus, eiſdem ſocios ad plebem ſpe civitatis erexit. Extat vox ipſius, *Nihil ſe ad largitionem ulli reliquiſſe, niſi ſi quis aut cœnum dividere vellet, aut cœlum.* Aderat promulgandi dies; quum ſubitò tanta vis hominum undique apparuit, ut hoſtium adventu obſeſſa civitas videretur. Auſus tamen obrogare de legibus conſul Philippus: ſed apprehenſum faucibus viator non antè dimiſit, quàm ſanguis in ora & oculos redundaret. Sic per vim latæ, juſſáque leges: ſed pretium rogationis ſtatim ſocii flagitavere, quum interim imparem Druſum, ægrúmque rerum temere motarum, matura, ut in tali diſcrimine, mors abſtulit. Nec ideo minùs ſocii promiſſa Druſi à populo Romano repoſcere armis deſierunt.

Cap. XVIII. *Bellum Sociale.*

Sociale bellum vocetur licet; ut extenuemus invidiam: ſi verum tamen volumus, illud civile bellum fuit. Quippe quum populus Romanus Etruſcos, Latinos, Sabinóſque miſcuerit, & unum ex omnibus ſanguinem ducat; corpus fecit ex membris, & ex omnibus unus eſt. Nec minore flagitio ſocii intrà Italiam, quàm intrà urbem cives rebellabant. Itaque quum jus civitatis, quam viribus auxerant, ſocii juſtiſſimè poſtularent, ad quam ſpem eos cupidine dominationis Druſus erexerat; poſtquam ille domeſtico ſcelere oppreſſus eſt, eadem fax, quæ illum cremavit, ſocios in arma & oppugnationem Urbis accendit. Quid hâc clade triſtius; quid calamitoſius? quum omne Latium, atque Picenum, Etruria omnis, atque Campania, poſtremò Italia contra matrem ac parentem ſuam Urbem conſurgerent: quum omne robur fortiſſimorum fideliſſimorúmque ſociorum ſub ſuis quoſque ſignis haberent municipalia illa prodigia: Popedius Marſos, & Latinos Afranius; Umbros totus ſenatus, & conſules; Samnium Lucaniámque Teleſinus: quum regum & gentium arbiter populus ipſum ſe regere non poſſet, ut victrix Aſiæ Europæque à Corſinio Roma peteretur. Primum fuit belli in Albano monte conſilium, ut feſto die Latinarum Julius Cæſar & Martius Philippus conſules, inter ſacra & aras immolarentur. Poſtquam id nefas proditione diſcuſſum eſt, Aſculo furor omnis erupit, in ipsâ quidem ludorum frequentiâ trucidatis, qui tum aderant ab Urbe, legatis. Hoc fuit impii belli ſacramentum. Indè jam paſſim ab omni parte Italiæ, duce & auctore belli diſcurſante Popedio, diverſa per populos & urbes ſigna cecinere. Nec Annibalis, nec Pyrrhi fuit tanta vaſtatio. Ecce Ocriculum, ecce Crumentum, ecce Feſulæ, ecce Carſeoli; reſeratæ Nucæria, & Picentia; cædibus, ferro, & igne vaſtantur. Fuſæ Rutilii copiæ, fuſæ Cæpionis. Nam ipſe

Julius Cæsar exercitu amisso, quum in Urbem cruentus referretur, miserabili funere mediam etiam Urbem perviam fecit. Sed magna populi Romani fortuna, & semper in malis major, totis denuo viribus insurrexit: aggressique singuli populos; Cato discutit Etruscos; Gabinius Marsos; Carbo Lucanos; Sylla Samnites. Strabo verò Pompeius, omnia flammis ferróque populatus, non priùs finem cædium fecit, quàm Asculi eversione, Manibus tot exercituum consularium, direptarúmque urbium diis litaretur.

CAP. XIX. *Bellum Servile.*

UTcunque, etsi cum sociis, (nefas!) cum liberis tamen, & ingenuis dimicatum est. Quis æquo animo ferat in principe gentium populo bella servorum? Primum Servile bellum inter initia Urbis, Herdonio Sabino duce, in ipsâ Urbe tentatum est: quum occupatâ tribuniciis seditionibus civitate, Capitolium obsessum est, & à consule captum. Sed hic tumultus magìs fuit quàm bellum. Mox imperio per diversa terrarum occupato, quis crederet Siciliam multo cruentiùs servili, quàm Punico bello esse vastatam? Terra frugum ferax, & quodammodo suburbana provincia, latifundiis civium Romanorum tenebatur. Hìc ad cultum agri, frequentia ergastula, catenatíque cultores, materiam bello præbuere. Syrus quidam nomine Eunus (magnitudo cladium facit, ut meminerimus) fanatico furore simulato, dum Syriæ deæ comas jactat, ad libertatem & arma servos, quasi numinum imperio concitavit; ídque ut divinitus fieri probaret, in ore abditâ nuce, quam sulphure & igne stipaverat, leniter inspirans, flammam inter verba fundebat. Hoc miraculum primùm duo millia ex obviis; mox jure belli refractis ergastulis, sexaginta amplius millium fecit exercitum: regiisque, nequid malis deesset, decoratus insignibus, castella, oppida, vicos, miserabili direptione vastavit. Quin (illud quoque ultimum belli dedecus) capta sunt castra

castra Prætorum; nec nominare ipsos pudebit, castra Manilii, Lentuli, Pisonis, Hypsæi. Itaque qui per fugitivarios distrahi debuissent, prætorios duces, profugos prœlio, ipsi sequebantur. Tandem Perpernâ Imperatore supplicium de eis sumptum est. Hic enim victos, & apud Ennam novissimè obsessos, quum fame quasi pestilentiâ consumpsissent, reliquias latronum compedibus & catenis religavit, crucibúsque punivit: fuitque de servis ovatione contentus, ne dignitatem triumphi servili inscriptione violaret. Vixdum respiraverat insula, quum statim à servis, & à Syro reditur ad Cilicem. Athenio pastor, interfecto domino, familiam ergastulo liberatam sub signis ordinat. Ipse veste purpureâ, argenteóque baculo, & regium in morem fronte redimitâ, non minorem, quàm ille fanaticus prior, conflat exercitum: acriúsque multo, quasi & illum vindicaret, vicos, castella, oppida diripiens, in dominos, in servos infestiùs, quasi in transfugas, sæviebat. Ab hôc quoque Prætorii exercitus cæsi; capta Servilii castra, capta Luculli. Sed Aquilius Perpernæ usus exemplo, intercluſum hostem commeatibus ad extrema compulit: communitásque copias armis, fame facilè delevit: dedidissentque se, nisi suppliciorum metu voluntariam mortem prætulissent. Ac ne de duce quidem supplicium exigi potuit, quamvis in manus venerit. quippe dum circa deprehendendum eum multitudo contendit, inter rixantium manus præda lacerata est.

CAP. XX. *Bellum Spartacum.*

ENimvero servilium armorum dedecus feras, nam & ipsi per fortunam in omnia obnoxii, tamen quasi secundum hominum genus sunt; & in bona libertatis nostræ adoptantur. Bellum Spartaco duce concitatum, quo nomine appellem, nescio; quippe quum servi militaverint, gladiatores imperaverint: illi infimæ sortis homines: hi pessimam auxere ludibrio calamitatem. Spartacus, Crixus, Oenomaus,

effracto Lentuli ludo, cum triginta haud amplius ejusdem fortunæ viris eruperunt Capuâ; servísque ad vexillum & ad auxilium vocatis, quum statim decem amplius millia coïssent hominum, non modò effugisse contenti, jam vindicare volebant. Prima velut harena viris mons Vesuvius placuit. Ibi quum obsiderentur à Clodio Glabro, per fauces cavi montis vitigineis delapsi vinculis, ad imas ejus descendere radices: & exitu invio, nihil tale opinantis ducis subito impetu castra rapuere. indè alia castra. Deinceps Coram, totámque pervagantur Campaniam. nec villarum atque vicorum vastatione contenti, Nolam atque Nuceriam, Thurios atque Metapontum terribili strage populantur. Affluentibus in diem copiis, quum jam esset justus exercitus; è viminibus, pecudúmque tegumentis inconditos sibi clypeos: è ferro ergastulorum recocto, gladios ac tela fecerunt. Ac ne quod decus justo deesset exercitui, domitis obviis gregibus paratur equitatus; captáque de prætoribus insignia & fasces ad ducem detulere. Nec abnuit ille de stipendiario Thrace miles, de milite desertor, indè latro, deinde in honore virium gladiator, qui defunctorum quoque prœlio ducum funera imperatoriis celebravit exequiis, captivósque circa rogum jussit armis depugnare: quasi plane expiaturus omne præteritum dedecus, si de gladiatore munerator fuisset. Indè jam consulares quoque aggressus, in Apennino Lentuli exercitum percecidit: apud Mutinam Caii Cassii castra delevit. Quibus elatus victoriis, de invadendâ urbe Romanâ (quod satis est turpitudini nostræ) deliberavit. Tandem etiam totis imperii viribus contra mirmillonem consurgitur: pudorémque Romanum Licinius Crassus asseruit: à quo pulsi fugatíque (pudet dicere) hostes, in extrema Italiæ refugerunt. Ibi circa Bruttium angulum clusi, quum fugam in Siciliam pararent, neque navigia suppeterent, ratésque ex cratibus, & dolia connexa virgultis in rapidissimo freto frustra experirentur; tandem eruptione factâ, dignam viris

obiere mortem: & quod sub gladiatore duce oportuit, sinè missione pugnatum est. Spartacus ipse in primo agmine fortissimè dimicans, quasi imperator occisus est.

CAP. XXI. *Bellum civile Marianum.*

HOC deerat unum populi Romani malis, jam ut ipse intrà se parricidiale bellum domi stringeret; & in urbe mediâ ac foro, quasi harenâ, cives cum civibus suis, gladiatorio more concurrerent. Æquiore animo utcunque ferrem, si plebeii duces; aut si nobiles, mali saltem, ducatum sceleri præbuissent: quum verò, prò facinus! qui viri! qui imperatores! decora & ornamenta sæculi sui Marius & Sylla, pessimo facinori suam etiam dignitatem præbuerunt. Tribus, ut sic dixerim, sideribus agitatum est: primo & levi, & modico, tumultu magìs quàm bello, intrà ipsos armorum duces subsistente sævitiâ: mox atrocius, & cruentius, per totius viscera senatûs grassante victoriâ: ultimum non civicam modò, sed hostilem quoque rabiem supergressum est; quum armorum furor totius Italiæ viribus niteretur, eousque odiis sævientibus, donec deessent, qui occiderentur. Initium & causa belli, inexplebilis honorum Marii fames, dum decretam Syllæ provinciam Sulpiciâ lege sollicitat. Sed impatiens injuriæ statim Sylla legiones circumegit: dilatóque Mithridate, Esquilinâ, Collinâque portâ geminum agmen Urbi infudit. Unde quum consultò Sulpicius & Albinovanus objecissent catervas, sudésque & saxa undique à mœnibus ac tela jacerentur; ipse quoque jaculatus incendio viam fecit, arcémque Capitolii, quæ Pœnos quoque, Gallos etiam Senones evaserat, quasi captivam victor insedit. Tum ex consulto senatûs adversariis hostibus judicatis, in præsentem tribunum aliósque diversæ factionis, jure sævitum est. Marium servilis fuga exemit; immo fortuna alteri bello reservavit. Cornelio Cinnâ, Cnæo Octavio consulibus,

malè obrutum resurrexit incendium: & quidem ab ipsorum discordiâ, quum de revocandis, quos senatus hostes judicaverat, ad populum referretur. Cinctâ quidem gladiis concione, sed vincentibus quibus pax & quies potior, profugus patriâ suâ Cinna confugit ad partes. Redit ab Africâ Marius, clade major: siquidem carcer, catenæ, fuga, exilium, horrificaverant dignitatem. Itaque ad nomen tanti viri latè concurritur: servitia (pro nefas!) & ergastula armantur: & facilè invenit exercitum miser imperator. Itaque vi patriam reposcens, unde vi fuerat expulsus, poterat videri jure agere, nisi causam suam sævitiâ corrumperet. Sed quum diis hominibúsque infestus rediret, statim primo impetu cliens & alumna Urbis Ostia, nefandâ strage diripitur; mox in urbem quadruplici agmine intratur. Divisere copias Cinna, Marius, Carbo, Sertorius. Hìc postquam manus omnis Octavii depulsa Janiculo est; statim ad principum cædem signo dato, aliquanto sæviùs, quàm aut in Punicâ, aut in Cimbricâ urbe, sævitur. Octavii consulis caput pro Rostris exponitur; Antonii consularis in Marii ipsius mensis. Cæsar & Fimbria in penatibus domorum suarum trucidantur; Crassi pater & filius in mutuo alter alterius aspectu: Bæbium atque Numitorium per medium forum unci traxere carnificum: Catulus se ignis haustu ludibrio hostium exemit: Merula flamen Dialis in Capitolio Jovis ipsius oculos venarum cruore respersit: Ancharius ipso vidente Mario confossus est, quia fatalem illam scilicet manum non porrexerat salutanti. Hæc tot senatûs funera intrà calendas & idus Januarii mensis, septima illa Marii purpura dedit. Quid futurum fuit, si annum consularis implêsset? Scipione & Norbano Quinto consulibus, tertius ille turbo civilis insaniæ toto furore detonuit: quippe quum hinc octo legiones, indè quingentæ cohortes starent in armis, & indè ab Asiâ cum victore exercitu Sylla properaret. Et sanè quum tam ferus in Syllanos Marius

Marius fuisset; quantâ sævitiâ opus erat, ut Sylla de Mario vindicaretur? Primùm apud Capuam sub amne Vulturno signa concurrunt: & statim Norbani fusus exercitus; statim omnes Scipionis copiæ, ostentatâ spe pacis, oppressæ. Tum Marius juvenis, & Carbo consules, quasi desperatâ victoriâ; ne inulti perirent, in antecessum sanguine senatûs sibi parentabant: obsessâque curiâ, sic de senatu quasi de carcere, qui jugularentur, educti. Quid funerum in foro, in circo, in patentibus templis? Nam Quinctus Mucius Scævola pontifex Vestales amplexus aras, tantùm non eodem igne sepelitur. Lamponius atque Telesinus Samnitum duces, atrociùs Pyrrho & Annibale Campaniam Etruriámque populantur: & sub specie partium se vindicant. Apud Sacriportum, Collinámque portam debellatæ omnes hostium copiæ. Ibi Marius, hìc Telesinus oppressi. Nec idem tamen cædium, qui belli finis fuit. Stricti enim in pace gladii: animadversúmque in eos, qui se sponte dediderant. Minus est, quod apud Sacriportum, & apud Collinam portam septuaginta amplius millia Sylla concidit: bellum erat. Quatuor millia deditorum inermium civium in villâ publicâ interfici jussit. Isti tot in pace, non plures sunt. Quis autem illos potest computare, quos in Urbe passim, quisquis voluit, occidit? donec admonente Furfidio, *Vivere aliquot debere, ut essent quibus imperarent*; proposita est ingens illa tabula; & ex ipso equestris ordinis flore ac senatûs, duo millia electi, qui mori juberentur, novi generis edictum. Piget post hæc referre, ludibrio habita fata Carbonis, fata Sorani Prætoris, atque Venuleii: Bæbium sinè ferro, ritu ferarum, inter manus laniatum: Marium ducis ipsius fratrem apud Catuli sepulchrum oculis, manibus, cruribúsque defossis, servatum aliquandiu, ut per singula membra moreretur. Positis singulorum hominum ferè pœnis, municipia Italiæ splendidissima sub hastâ venierunt, Spoletium, Interamnium, Prænestæ, Florentia. Nam Sulmonem, vetus oppidum soci-

um atque amicum (facinus indignum!) nondum expugnatum, ut obsides jure belli, & modò morte damnati, duci jubentur: sic damnatam civitatem jussit Sylla deleri.

CAP. XXII. *Bellum Sertorianum.*

BEllum Sertorianum quid aliud, quàm Syllanæ proscriptionis hæreditas fuit? hostile potiùs, an civile dixerim, nescio: quippe quod Lusitani Celtiberíque Romano gesserint duce. Exul & profugus feralis illius tabulæ, vir summæ quidem, sed calamitosæ virtutis, malis suis maria terrásque permiscuit; & jam Africæ, jam Balearibus insulis fortunam expertus, missúsque in Oceanum, Fortunatas insulas penetravit: tandem Hispaniam armavit. Viro cum viris facilè convenit. Nec aliàs magìs apparuit Hispani militis vigor, quàm Romano duce. Quanquam ille non contentus Hispaniâ, ad Mithridatem quoque Ponticósque respexit, regémque classe juvit. Et quid futurum fuit? satis tanto hosti uno imperatore resistere res Romana non potuit. Additus Metello Cnæus Pompeius: hi copias viri diu, & ancipiti semper acie attrivere: nec tamen priùs bello, quàm suorum scelere & insidiis, extinctus est. Copias ejus prope totâ Hispaniâ persequuti, diu & ancipiti, semper acie domaverunt. Prima per legatos certamina habita, quum hinc Domitius, & Thorius; indè Herculeii proluderent: mox his apud Segoviam, illis apud Anam flumen oppressis; ipsi duces cominus invicem experti, apud Lauronem atque Sucronem æquavere clades. Tum illis ad populationem agrorum, his ad urbium excidia conversis, misera inter Romanos duces Hispania discordiæ pœnas dabat: donec oppresso domesticâ fraude Sertorio, victo deditóque Perpernâ, ipsæ quoque in Romanam fidem venere urbes, Osca, Terme, Tutia, Valentia, Auxima, & infame nihil non experta Calaguris. Sic recepta in pacem Hispania. Victores duces externum id magìs quàm civile bellum videri voluerunt, ut triumpharent.

CAP. XXIII. *Bellum civile sub Lepido.*

MArco Lepido, Quincto Catulo consulibus, civile bellum pæne citiùs oppressum est quàm inciperet: sed quantum, latéque fax illius motûs ab ipso Sylæ rogo exarsit! Cupidus namque rerum novarum per insolentiam Lepidus, acta tanti viri rescindere parabat; nec immeritò, si tamen posset sinè magnâ clade Reipublicæ. Nam quum jure belli Sylla dictator proscripsisset inimicos: qui supererant, revocante Lepido, quid aliud, quàm ad bellum vocabantur? quúmque damnatorum civium bona, addicente Syllâ, quamvis malè capta, jure tamen, repetitio eorum proculdubio labefactabat compositam civitatem. Expediebat ergo quasi ægræ sauciæque Reipublicæ requiescere quomodocunque; ne vulnera curatione ipsâ rescinderentur. Ergo quum turbidis concionibus, velut classico civitatem terruisset, profectus in Etruriam, arma indè & exercitum Urbi admoverat. Sed jam Milvium pontem, collémque Janiculum Lutatius Catulus, Cnæúsque Pompeius, Syllanæ dominationis duces atque signiferi, alio exercitu insederant. A quibus primo statim impetu retro pulsus, hostísque à senatu judicatus, incruentâ fugâ Etruriam, indè Sardiniam recessit: ibíque morbo & pœnitentiâ interiit. Victores, quod non temere aliàs in civilibus bellis, pace contenti fuerunt.

LIBER IV.

CAP. I. *Bellum Catilinarium.*

CAtilinam luxuria primùm, tum hinc conflata egestas rei familiaris, simul occasio, quòd in extremis finibus mundi arma Romana peregrinabantur; in nefaria consilia opprimendæ patriæ suæ compulere; Senatum confodere, consules trucidare, distringere incendiis Urbem, diripere ærarium; totam denique rempublicam funditus tollere, & quicquid nec Annibal videretur optâsse. Quæ omnia quibus (ò nefas!) sociis aggressus est? ipse patricius; sed hoc minus est: Curii, Porcii, Syllæ, Cethegi, Antronii, Varguntei atque Longini. quæ familiæ? quæ senatûs insignia? Lentulus quoque cùm maximè prætor. Hos omnes immanissimi sacinoris satellites habuit. Additum est pignus conjurationis, sanguis humanus: quem circumlatum pateris bibere: summum nefas, nisi amplius esset propter quod biberunt. Actum erat de pulcherrimo imperio, nisi illa conjuratio in Ciceronem & Antonium consules incidisset: quorum alter industriâ rem patefecit, alter manu oppressit. Tanti sceleris indicium per Fulviam emersit, vilissimum scortum, sed parricidii innocens. Tum Consul habito senatu, in præsentem reum Cicero peroravit: sed non ampliùs profectum, quàm ut hostis evaderet, séque, palàm professo, *incendium suum extincturum ruinâ* minaretur. Et ille quidem ad præparatum à Manlio in Etruriâ exercitum proficiscitur, signa illaturus Urbi. Lentulus destinatum familiæ suæ Sibyllinis versibus regnum sibi vaticinans, ad præstitutum à Catilinâ diem, urbe totâ viros, faces, tela disponit. Nec civili conspiratione contentus, legatis Allobrogum, qui tum fortè aderant, in arma sollicitatis, iisset ultra Alpes furor, nisi alterâ proditione Vulturcii, prætoris literæ tenerentur. Statim Ciceronis imperio injecta est barbaris manus. Palàm prætor in senatu convincitur. De supplicio agentibus, Cæsar parcendum dignitati; Cato animadvertendum pro scelere censebat. Quam sententiam sequutis omnibus, in carcere parricidæ strangulantur. Quamvis parte conjurationis oppressâ, tamen ab incepto Catilina non destitit; sed infestis ab Etruriâ signis patriam petens, obvio Antonii exercitu opprimitur. Quàm atrociter dimicatum sit, exitus docuit. Nemo hostium bello superfuit: quem quis in pugnando ceperat locum, eum amissâ animâ corpore tegebat. Catilina longè à suis inter hostium cadavera repertus est; pulcherrimâ morte, si pro patriâ sic concidisset.

CAP. II. *Bellum Cæsaris & Pompeii.*

JAM penè toto orbe pacato, majus erat imperium Romanum, quàm ut ullis externis viribus extingui posset. Itaque invidens fortuna principi gentium populo, ipsum illum in exitium suum armavit: ac Mariana quidem Cinnanáque rabies intrà Urbem præluserat, quasi experiretur. Syllana tempestas latiùs, intrà Italiam tamen, detonuerat. Cæsaris furor atque Pompeii, Urbem, Italiam, gentes, nationes, totum denique quà patebat imperium, quodam quasi diluvio & inflammatione corripuit: adeò ut non rectè tantùm *civile* dicatur: ac ne *sociale* quidem; sed nec *externum*: sed potiùs *commune quoddam ex omnibus, & plus quàm bellum.* Quippe si duces ejus inspicias; totus senatus in partibus. si exercitus; hinc undecim legiones, indè decem & octo, flos omnis & robur Italici sanguinis: si auxilia sociorum; hinc Gallici Germanique delectus: indè Deiotarus, Ariobarzanes, Tarchondimotus, Cothus, omne Thraciæ, Cappadociæque, Cili-

ciæ, Macedoniæ, Græciæ, Ætoliæ, totiúsque robur Orientis: si moram belli, quatuor anni, & pro clade rerum breve tempus: si locum & spacium ubi commissum est; intrà Italiam: indè se in Galliam Hispaniámque deflexit: reversúmque ab occasu, totis viribus in Epiro Thessaliâque secedit: hinc in Ægyptum subitò transiliit: indè respexit Asiam; indè Africæ incubuit: postremò in Hispaniam regyravit, & ibi aliquando defecit. Sed non & odia partium finita cum bello. Non enim priùs quievere, quàm in Urbe ipsâ, medio senatu, eorum qui victi erant odia victoris sese cæde satiarent. Causa tantæ calamitatis eadem quæ omnium, nimia felicitas. Siquidem Quincto Metello, Lucio Afranio consulibus, quum Romana majestas toto orbe polleret, recentésque victorias, Ponticos & Armenios triumphos in Pompeianis theatris Roma cantaret; nimia Pompeii potentia apud ociosos, ut solet, cives movit invidiam. Metellus ob imminutum Cretæ triumphum; Cato adversùs potentes semper obliquus, detrectare Pompeium, actísque ejus obstrepere. Hinc dolor transversum egit: & ad præsidia dignitati paranda impulit. Fortè tunc Crassus genere, divitiis, dignitate florebat: vellet tamen auctiores opes: Caius Cæsar eloquentiâ, & spiritu, ecce jam consulatu allevabatur: Pompeius tamen super utrumque eminebat. Sic igitur Cæsari dignitatem comparare, Crasso augere, Pompeio retinere cupientibus, omnibúsque pariter potentiæ cupidis, de invadendâ Republicâ facilè convenit. Ergo quum mutuis viribus in suum quisque decus niteretur, Galliam Cæsar invadit, Crassus Asiam, Pompeius Hispaniam: tres maximos exercitus: & jam sic orbis imperium societate trium principum occupatur. Decem annos traxit ista dominatio. Exinde, quoniam mutuo metu tenebantur, Crassi morte apud Parthos, & morte Juliæ Cæsaris filiæ, quæ nupta Pompeio, generi socerique concordiam matrimonii fœdere tenebat, statim æmulatio erupit. Jam Pompeio suspectæ Cæsaris opes, & Cæsari

Pompeiana dignitas gravis. Nec hic ferebat parem, nec ille superiorem. Nefas! sic de principatu laborabant, tanquam duos tanta imperii fortuna non caperet. Ergo Lentulo Marcellóque consulibus, ruptâ primâ conjurationis fide, de successione Cæsaris senatus, id est Pompeius, agitabat: nec ille abnuebat, si ratio sui proximis comitiis haberetur. Consulatus absenti, quem decem tribuni plebis, favente Pompeio, nuper decreverant, tum dissimulante eodem negabatur. *Veniret, & peteret majorum more.* ille contrà flagitare decreta: ac *nisi in fide permanerent, non se remittere exercitum.* Ergo ut in hostem decernitur. His Cæsar agitatus, statuit præmia armorum armis defendere. Prima civilis belli harena, Italia fuit; cujus arces levibus præsidiis Pompeius insederat: sed omnia subito Cæsaris impetu oppressa sunt. Prima Arimino signa cecinerunt: tum pulsus Etruriâ Libo, Umbriâ Thermus, Domitius Corfinio. Et peractum erat bellum sinè sanguine, si Pompeium Brundisii opprimere potuisset: & ceperat, sed ille per obsessi claustra portûs, nocturnâ fugâ evasit. Turpe dictu! modò princeps patrum, pacis bellíque moderator, per triumphatum à se mare, lacerâ & pæne inermi nave fugiebat. Nec Pompeius ab Italiâ, quàm senatus ab Urbe, fugatur prior: quam pænè vacuam metu Cæsar ingressus, consulem se ipse facit. Ærarium quoque sanctum, quia tardiùs aperiebant Tribuni, jussit effringi: censúmque & patrimonium populi Romani antè rapuit, quàm imperium. Pulso fugatóque Pompeio, maluit priùs ordinare provincias, quàm ipsum sequi. Sicilliam & Sardiniam, annonæ pignora, per legatos habet. Nihil hostile erat in Galliâ: pacem ipse fecerat. Sed ad Hispanienses Pompeii exercitus transeunti per eam duci portas claudere ausa Massilia est. Misera, dum cupit pacem, belli metu in bellum incidit: sed quia tutis muris erat, vinci eam sibi jussit absenti. Græcula civitas, non pro mollitie nominis, & vallum rumpere, & incendere machinas ausa, & congredi navi-

bus: sed Brutus, cui mandatum erat bellum, victos terrâ marique perdomuit. Mox dedentibus sese ablata omnia præter, quam potiorem omnibus habebant, libertatem. Anceps, variúmque, & cruentum in Hispaniâ bellum cum legatis Cnæi Pompeii Perreio & Afranio: quos Ilerdæ castra habentes, apud Sicorim amnem obsidere, & ab oppido intercludere aggreditur. Interim obundatione verni fluminis, commeatibus prohibetur. Sic fame castra tentata sunt: obsessóque ipse quasi obsidebatur. Sed ubi pax fluminis rediit, populationibus & pugnæ campos aperuit: iterum ferox instat: cedentes ad Celtiberiam consequutus, aggere & vallo, ac per hæc siti ad deditionem compulit. Sic citerior Hispania recepta est; nec ulterior moram fecit. Quid enim una post quinque legiones? Itaque ultro cedente Varrone, Gades, fretum, Oceanus, omnia felicitatem Cæsaris sequebantur. Aliquid tamen adversùs absentem ducem ausa fortuna est circa Illyricum & Africam: quasi de industriâ prospera ejus adversis radiarentur. Quippe quum fauces Adriatici maris jussi occupare Dolabella & Antonius, ille Illyrico, hic Curictico littore castra posuissent; jam maria latè tenente Pompeio, repentè legatus ejus Octavius Libo ingentibus copiis classicorum circumvenit utrumque. Deditionem fames extorsit Antonio. Missæ quoque à Basilo in auxilium ejus rates, quales inopia navium fecerat, novâ Pompeianorum arte Cilicum, actis sub mare funibus, captæ quasi per indaginem. Duas tamen æstus explicuit. Una, quæ Opiterginos ferebat, in vadis hæsit, memorandúmque posteris exitum dedit. Quippe vix mille juvenum manus, circumfusi undique exercitûs per totum diem tela sustinuit. & quum exitum virtus non haberet, tamen ne in deditionem veniret, hortante tribuno Vulteio, mutuis ictibus in se concurrit. In Africâ quoque par & virtus & calamitas Curionis fuit: qui ad recipiendam provinciam missus, pulso fugatóque Varo jam superbus, subitum Jubæ regis adventum, equitatúmque Maurorum sustinere non potuit. Patebat victo fuga: sed pudor suasit, ut amissum suâ temeritate exercitum morte sequeretur. Sed jam debitum par fortunâ flagitante, sedem bello Pompeius Epiron elegerat: nec Cæsar moratur. Quippe ordinatis à tergo omnibus, quamvis hyems media prohiberet tempestate, ad bellum navigavit: positísque ad Oricum castris, quum pars exercitûs, ob inopiam navium cum Antonio relicta, Brundisii moram faceret; adeò impatiens erat, ut ad arcessendos eos, ardente ventis mari, nocte concubiâ, speculatorio navigio, solus ire tentaverit. Extat ad trepidum tanto discrimine gubernatorem vox ipsius: *Quid times? Cæsarem vehis.* Contractis in unum undique copiis, positísque cominus castris, diversa erant ducum consilia. Cæsar pro naturâ ferox, & conficiendæ rei cupidus ostentare aciem, provocare, lacessere: nunc obsidione castrorum, quæ sedecim millium vallo obduxerat: (sed quid his obesset obsidio, qui patente mari omnibus copiis abundarent?) nunc expugnatione Dyrrhachii irritâ; (quippe quam vel situs inexpugnabilem faceret) ad hoc assiduis in eruptionem hostium prœliis; (quo tempore egregia virtus Scævæ centurionis emicuit, cujus in scuto centum atque viginti tela sedere) jam verò direptione urbium sociarum, quum Oricum, & Gomphos, & alia castella Thessaliæ vastaret. Pompeius adversùs hæc nectere moras, tergiversari simul, ut hostem intercluſum undique inopiâ commeatuum [illegible], utque ardentissimi ducis consenesceret impetus. Nec diutius profuit duci salutare consilium: milites ocium, socii moram, principes ambitum ducis increpabant. Sic præcipitantibus fatis, prœlio sumpta est Thessalia: & Philippicis campis, Urbis, imperii, generis humani fata commissa sunt. Nunquam ullo loco tantum virium populus Romanus, tantum dignitatis fortuna vidit. Trecenta amplius millia hinc vel illinc, præter auxilia regum, & Senatûs. Nunquam imminentis ruinæ manifestiora prodigia,

fuga victimarum; examina in signis; interdiu tenebræ; dux ipse & nocturnâ imagine theatri sui audiens plausum, in modum planctûs circumsonare; & manè cum pullo (nefas!) apud principia conspectus. Nunquam acrior neque alacrior exercitus Cæsaris fuit: indè classica priùs, indè tela. Annotatum quoque committentis aciem Crastini pilum: qui mox adacto in os gladio, sic inter cadavera repertus, libidinem ac rabiem quâ pugnaverat, ipsâ novitate vulneris præferebat. Sed nec minùs admirabilior illius exitus belli. Quippe quum Pompeius adeò equitum copiâ abundaret, ut facilè circumventurus sibi Cæsarem videretur; circumventus ipse est. Nam quum diu æquo Marte contenderent, jussûque Pompeii fusus à cornu erupisset equitatus; repentè hinc signo dato, Germanorum cohortes tantum in effusos equites fecere impetum, ut illi esse pedites, hi venire in equis viderentur. Hanc stragem fugientis equitatûs, levis armaturæ ruina comitata est. Tunc terrore latiùs dato, turbantibus invicem copiis, reliqua strages quasi unâ manu facta est: nec ulla res magis exitio fuit, quàm ipsa exercitûs magnitudo. Multus in eo prœlio Cæsar fuit, mediúsque inter Imperatorem & militem. Voces quoque obequitantis exceptæ, altera cruenta, sed docta, & ad victoriam efficax, *Miles, faciem feri*: altera ad jactationem composita; *Parce civibus:* quum ipse sequeretur. Felicem utcunque in malis Pompeium, si eadem ipsum, quæ exercitum ejus, fortuna traxisset! Superstes dignitatis suæ vixit, ut cum majore dedecore per Thessalica Tempe equo fugeret; ut unâ naviculâ Lesbon applicaretur: pulsus Hedris in deserto Ciliciæ scopulo, fugam in Parthos, Africam, vel Ægyptum agitaret: ut denique in Pelusio littore, imperio vilissimi regis, consiliis spadonum, & ne quid malis desit, Septimii desertoris sui gladio trucidatus, sub oculis uxoris suæ liberorúmque moreretur. Quis non peractum esse cum Pompeio crederet bellum? atqui a-

criùs multo atque vehementiùs Thessalici incendii cineres recaluere. Et in Ægypto quidem adversùs Cæsarem sinè partibus bellum. Quippe quum Ptolemæus rex Alexandriæ summum civilis belli scelus peregisset, fœdúsque amicitiæ cum Cæsare, medio Pompeii capite sanxisset; ultionem tanti viri Manibus quærente fortunâ, causa non defuit. Cleopatra regis soror affusa Cæsaris genibus, partem regni reposcebat. Aderat puellæ forma, & quæ duplicaretur ex illo, quòd talis passa videbatur injuriam: odium ipsius regis, qui Pompeii cædem, partium fato, non Cæsari dederat; haud dubiè idem in ipsum ausurus, si expedisset. Quam ubi Cæsar restitui jussit in regnum, statim ab eisdem percussoribus Pompeii obsessus in regiâ, quamvis exiguâ manu, ingentis exercitûs molem mirâ virtute sustinuit. Ac primùm ædificiorum proximorum, atque navalium incendio, infestorum hostium tela submovit: mox in peninsulam Pharon subitus evasit: indè depulsus in maria, mirâ felicitate ad proximam classem enatavit relicto quidem in fluctibus paludamento, seu fato, seu consilio, ut illud ingruentibus hostium telis saxísque peteretur. Tandem receptus à classicis suis, undique simul hostes adortus, debellatâ perfidâ gente, justa generi Manibus dedit. Quippe & Theodotus magister, auctórque totius belli, & ne virilia quidem portenta Pothinus atque Ganymedes, diversâ per mare & terras fugâ & morte consumpti. Regis ipsius corpus obrutum limo repertum est in aureæ loricæ honore. In Asiâ quoque novus rerum motus à Ponto: planè quasi de industriâ captante fortunâ hunc Mithridatico regno exitum, ut à Pompeio pater, à Cæsare filius vinceretur. Rex Pharnaces magis discordiæ nostræ fiduciâ, quàm virtutis suæ, infesto in Cappadociam agmine ruebat: sed hunc Cæsar aggressus, uno, &, ut sic dixerim, non toto prœlio, obtrivit; more fulminis, quod uno eodémque momento venit, percussit, absessit. Nec vana de se prædicatio est Cæsaris; *antè victum hostem esse, quàm visum.* Sic cum

exteris. At in Africâ cum civibus multo atrociùs, quàm in Pharsaliâ. Huc reliquias partium naufragarum quidam furoris æstus expulerat: nec reliquias diceres, sed integrum bellum. Sparsæ magis, quàm oppressæ vires erant. Auxerat sacramentum ipsa clades Imperatoris: nec degenerabat ducum successio: quippe satis amplè sonabant in Pompeiani nominis locum Cato & Scipio. Accessit copiis Mauritaniæ rex Juba, videlicet ut latiùs vinceret Cæsar. Nihil ergo inter Pharsaliam, & Thapson, nisi quòd amplior, eóque acrior Cæsarianorum impetus fuit, indignantium post Pompeium crevisse bellum. Denique, quod aliàs nunquam, ante imperium ducis, suâ sponte signa cecinerunt. Strages à Jubâ cepit: ejus elephanti bellorum rudes, & nuper à sylvâ, consternati subito clangore; statim & exercitus in fugam, & duces fortiùs quàm ut fugerent, non inconspicuâ tamen morte omnium. Jam Scipio nave fugiebat: sed assequutis eum hostibus, gladium per viscera exegit: & *ubi esset* quodam requirente, respondit hoc ipsum; *Bene se habet imperator.* Juba quum sese recepisset in regiam, magnificè epulatus, postero die cum Petreio fugæ comite, super mensas & pocula interficiendum se ei præbuit. Ille & regi sufficit, & sibi: quum interim semesi in medio cibi, & parentalia fercula regio simul Romanóque sanguine madebant. Cato non interfuit bello: positisque apud Bagradam castris, Uticam, velut altera Africæ claustra, servabat. Sed acceptâ partium clade, nihil cunctatus, ut sapiente dignum erat, mortem etiam lætus accivit. Nam postquam filium comitésque ab amplexu dimisit, in nocte lecto ad lucernam Platonis libro, qui immortalitatem animæ docet, paulùm quievit. Tum circa primam vigiliam stricto gladio revelatum manu pectus semel iterúmque percussit. Ausi post hoc virum medici violare fomentis: ille passus dum abscederent, rescidit plagas; sequutáque vis sanguinis moribundas manus in ipso vulnere reliquit. Quasi non esset usquam dimicatum, sic arma rursus & partes: quantóque Africa supra Thessaliam, tanto Africam superabat Hispania. Plurimum quantum favoris partibus dabat fraternitas ducum, & pro uno duos stare Pompeios. Itaque nusquam atrociùs, nec tam ancipiti Marte concursum est. Primùm in ipso ostio Oceani Varus Didiúsque legati conflixere: sed acrius fuit cum ipso mari, quàm inter se navibus bellum. Siquidem velut furorem civium castigaret Oceanus, utramque classem naufragio cecidit. Quinam ille horror, quum eodem tempore fluctus, procellæ, viri, naves, armamenta confligerent? adde situs ipsius formidinem: vergentia in unum, hinc Hispaniæ, indè Mauritaniæ littora; mare & intestinum, & externum; imminentésque Herculis speculas; quum omnia undique simul prœlio & tempestate sævirent. Mox circa obsidiones urbium utrinque discursum est: quæ miseræ inter hos atque illos duces societatis Romanæ pœnas dabant. Omnium postrema certaminum Munda. Hic non pro cæterâ felicitate, sed anceps, & diu triste prœlium: ut planè videretur nescio quid deliberare fortuna. Sanè & ipse ante aciem mœstior non ex more Cæsar; sive respectu fragilitatis humanæ; sive nimiam prosperorum suspectam habens continuationem: vel eadem timens, postquam idem esse cœperat quod Pompeius. Sed in ipso prœlio, quod nemo unquam meminerat, quum diu pari Marte acies nihil aliud quàm occiderent, in medio ardore pugnantium subito ingens inter utrosque silentium, quasi conveniisset. Hic omnium sensus erat. Noviſſimè illud inusitatum Cæsaris oculis nefas, post quatuordecim annos probata veteranorum manus gradum retro dedit. Quòd etsi nondum fugerat, apparebat tamen pudore magis, quàm virtute resistere. Itaque ablegato equo, similis furenti, primam in aciem procurrit. Ibi prensare fugientes, confirmare, per totum denique agmen oculis, manibus, clamore volitare. Dicitur in illâ perturbatione & de extremis agitâsse secum, & ita manifesto vultu fuisse,

quasi occupare manu mortem vellet; nisi cohortes hostium quinque per transversam aciem actæ, quas Labienus periclitantibus castris subsidio miserat, fugæ speciem præbuissent. Hoc [aut & ipse credidit, aut dux callidus arripuit in occasionem: & quasi in fugientem invectus, simul & suorum erexit animos, & hostes perculit. Nam hi dum se putant vincere, fortiùs sequi; Pompeiani dum fugere credunt suos, fugere cœperunt. Quanta fuerit hostium cædes, ira, rabiésque victoribus, sic æstimari potest. Hôc à prœlio profugi quum se Mundam recepissent, & Cæsar obsideri statim victos imperâsset, ex congestis cadaveribus agger effectus est, quæ pilis jaculisque confixa inter se tenebantur. Fœdum etiam inter barbaros! Sed videlicet victoriam desperantibus Pompeii liberis, Cnæum prœlio profugum, crure saucio deserta & avia petentem, Cenonius apud Lauronem oppidum consequutus, pugnantem (adeò nondum desperabat) interfecit. Sextum fortuna in Celtiberiam interim abscondit; aliisque post Cæsarem bellis reservavit. Cæsar in patriam victor invehitur. Primum de Galliâ triumphum transmiserat Rhenus, & Rhodanus, & ex auro captivus Oceanus. Altera laurus Ægyptia: tunc in ferculis Nilus, Arsinoe, & ad simulacrum ignium ardens Pharus. Tertius de Pharnace currus, & Ponto. Quartus Jubam & Mauros, & bis subactam ostendebat Hispaniam. Pharsalia, & Thapsos, & Munda nusquam, & quanto majora erant, de quibus non triumphabat! Hic aliquando finis armis fuit. Reliqua pax incruenta: pensatúmque clementiâ bellum. Nemo cæsus imperio præter Afranium (satis ignoverat semel) & Faustum Syllam. Didicerat generos timere: filiámque Pompeii cum patruelibus ex Syllâ: hìc posteris cavebatur. Itaque non ingratis civibus, omnes unum in principem congesti honores: circa templa imagines, in theatro distincta radiis corona; suggestus in curiâ; fastigium in domo: mensis in cœlo. Ad hoc pater ipse patriæ perpetuúsque dictator: novissimè, dubium, an ipso volente, oblata pro Rostris ab Antonio consule regni insignia. Quæ omnia velut infulæ in destinatam morti victimam congerebantur. Quippe clementiam principis vicit invidia; gravísque erat liberis ipsa beneficiorum potentia. Nec dintiùs dilatio donata est: sed Brutus & Cassius, aliíque patricii consenserunt in eædem principis. Quanta vis fati! manaverat latè conjuratio: libellus etiam Cæsari datus eodem die; nec perlitare centum victimis potuerat. Venit in curiam tamen, expeditionem Parthicam meditans. Ibi in curuli sedentem eum senatus invasit: tribúsque & viginti vulneribus ad terram datus est. Sic ille, qui terrarum orbem civili sanguine impleverat, tandem ipse sanguine suo curiam implevit.

CAP. III. *Cæsar Augustus.*

POpulus Romanus, Cæsare & Pompeio trucidatis, rediisse in statum pristinæ libertatis videbatur: & redierat, nisi aut Pompeius liberos, aut Cæsar hæredem reliquisset: vel, quod utroque perniciosius fuit; si non collega quondam, mox æmulus Cæsarianæ potentiæ, fax & turbo sequentis sæculi, superfuisset Antonius. Quippe dum Sextus paterna repetit; trepidatum toto mari: dum Octavius mortem patris ulciscitur, iterum fuit movenda Thessalia; dum Antonius varius ingenio, aut successorem Cæsaris indignatur Octavium, aut amore Cleopatræ desciscit in regem; nam aliter salvus esse non potuit, nisi confugisset ad servitutem. Gratulandum tamen in tantâ perturbatione est, quòd potissimum ad Octavium Cæsarem Augustum summa rerum rediit: qui sapientiâ suâ atque solertiâ, perculsum undique & perturbatum ordinavit imperii corpus: quod ita haud dubiè nunquam coire & consentire potuisset, nisi unius præsidis nutu, quasi animâ & mente regeretur. Marco Antonio, Publio Dolabellâ consulibus, imperium Romanum jam ad Cæsares transferente fortunâ, varius

& multiplex civitatis motus fuit: quódque in annuâ cœli conversione fieri solet, ut mota sidera tonent, ac suos flexus tempestate significent; sic cum Romanæ dominationis, id est humani generis conversione, penitus intremuit, omnísque genere discriminum, civilibus, terrestribus, ac navalibus bellis, omne imperii corpus agitatum est.

CAP. IV. *Bellum Mutinense.*

PRima civilium motuum causa testamentum Cæsaris fuit, cujus secundus hæres Antonius prælatum sibi Octavium furens, inexpiabile contra adoptionem acerrimi juvenis susceperat bellum. Quippe quum intrà decem & octo annos tenerum, obnoxium, & opportunum injuriæ juvenem videret, ipse, plenæ ex commilitio Cæsaris dignitatis, lacerare furtis hæreditatem, ipsum insectari probris, cunctis artibus cooptationem Juliæ gentis inhibere non desineret; denique ad opprimendum juvenem, palàm arma moliri; & jam parato exercitu in Cisalpinâ Galliâ resistentem motibus suis Decimum Brutum obsidebat: Octavius Cæsar, ætate & injuriâ favorabilis, & nominis majestate, quod sibi induerat, revocatis ad arma veteranis, privatus (quis crederet?) consulem aggreditur. Obsidio Mutinæ liberat Brutum: Antonium exuit castris. Tum quidem etiam manu pulcher apparuit: nam cruentus & saucius aquilam, à moriente signifero traditam, suis humeris in castra referebat.

CAP. V. *Bellum Perusinum.*

ALterum bellum concitavit agrorum divisio, quos Cæsar veteranis in castris, pretium militiæ, persolvebat. Semper aliàs Antonii pessimum ingenium Fulvia gladio cincta virilis militiæ, uxor agitabat. Ergo depulsos agris colonos incitando, iterum in arma ierat. Hic verò jam non privatis, sed totius senatûs suffragiis judicatum hostem Cæsar aggressus,

intrà Perusiæ muros redegit, compulítque ad extrema deditionis, turpi & nihil non expertâ fame.

CAP. VI. *Triumvirati.*

QUUM solus etiam gravis paci, gravis Reipublicæ esset Antonius, quasi ignis incendio Lepidus accessit. Quid contra duos exercitus necesse fuit venire in cruentissimi fœderis societatem? Diversa omnium nota incendia. Lepidum divitiarum cupido, quarum spes ex turbatione Reipublicæ: Antonium ultiones de his, qui se hostem judicâssent: Cæsarem inultus pater, & Manibus ejus graves Cassius & Brutus agitabant. In hoc velut fœdus pax inter tres duces componitur. Apud Confluentes inter Perusiam & Bononiam jungunt manus, & exercitus consalutant. Nullo bono more Triumviratus invaditur; oppressâque armis Republicâ, redit Syllana proscriptio: cujus atrocitas nihil in se minus habet, quàm numerum centum quadraginta senatorum. Exitus fœdi, truces, miserabiles, toto terrarum orbe fugientium, pro quibus quis pro dignitate rei ingemiscat? quum Antonius Lucium Cæsarem avunculum suum, Lepidus Lucium Paulum suum fratrem proscripserit? Romæ capita cæsorum proponere in Rostris jam usitatum erat: verùm sic quoque civitas lacrymas tenere non potuit, quum recisum Ciceronis caput in illis suis Rostris videretur, nec aliter ad videndum eum, quàm solebat ad audiendum, concurreretur. Hæc scelera in Antonii Lepidíque tabulis. Cæsar percussoribus patris contentus fuit. Hæc quoque nisi multa fuisset, etiam justa cædes haberetur.

CAP. VII. *Bellum Cassii & Bruti.*

BRutus & Cassius sic Cæsarem, quasi Tarquinium regem, depulisse regno videbantur: sed libertatem, quam maximè restitutam voluerunt, illo ipso parricidio perdidere. Igitur cæde perfectâ, quum veteranos Cæsaris, nec immeritò, timerent, statim è

curiâ in Capitolium confugerunt. Nec illis ad ultionem deerat animus; sed ducem non habebant. Igitur quum appareret, quæ strages Reipublicæ immineret, displicuit ultio cum consulis abolitione decreta. Ne tamen publici doloris oculos ferrent, in provincias ab illo ipso, quem occiderant, Cæsare datas, Syriam & Macedoniam, concesserunt. Sic vindicta Cæsaris dilata potiùs quàm oppressa est. Igitur ordinatâ magìs ut poterat, quàm ut debebat, in Triumviros republicâ, relicto ad Urbis præsidium Lepido, Cæsar cum Antonio in Cassium Brutúmque succingitur. Illi comparatis ingentibus copiis, eandem illam, quæ fatalis Cnæo Pompeio fuit, harenam insederant. Sed nec tum imminentia cladis destinatæ signa latuere. Nam & assuetæ cadaverum pabulo volucres, castra quasi jam sua circumvolabant: & in aciem prodeuntibus obvius Æthiops nimis apertè ferale signum fuit. Ipsíque Bruto per noctem, quum illato lumine ex more aliquis secum agitaret, atra quædam imago se obtulit: & *quæ esset* interrogata; *Tuus*, inquit, *malus genius*. Hoc dixit, & sub oculis mirantis evanuit. Pari in meliora præsagio in Cæsaris castris omnia, aves, victimæque promiserant: sed nihil illo præsentius, quod Cæsaris medicus somnio admonitus est, *ut Cæsar castris excederet, quibus capi imminebat*: ut factum est. Acie namque commissâ, quum pari ardore aliquandiu dimicatum foret: & quamvis duces non essent præsentes, quorum alterum corporis ægritudo, illum metus & ignavia subduxissent; staret tamen pro partibus invicta fortuna & ultoris, & qui vindicabatur: primum adeò anceps fuit & par utrinque discrimen, ut exitus prœlii docuit. Capta sunt hinc Cæsaris castra, indè Cassii. Sed quanto efficacior est fortuna quàm virtus! & quàm verum est, quod moriens efflavit, non *in re, sed in verbo tantùm, esse virtutem*! Victoriam illi prœlio error dedit. Cassius inclinato cornu suorum, quum captis Cæsaris castris, rapido impetu recipientes se equites videret, fugere

arbitratus, evadit in tumulum. Indè pulvere & strepitu, etiam nocte vicinâ, eximentibus gestæ rei sensum, quum speculator quoque in id missus, tardiùs renunciaret; transactum de partibus ratus, uni de proximis auferendum præbuit caput. Brutus quum in Cassio etiam suum animum perdidisset, ne quid ex constituti fide resignaret (ita enim par superesse bello convenerat) ipse quoque uni comitum suorum confodiendum præbuit latus. Quis sapientissimos viros non miretur ad ultimum non suis manibus usos? nisi si hoc quoque ex persuasione defuit, ne violarent manus, sed in abolitione sanctissimarum pissimarúmque animarum, judicio suo, scelere alieno, uterentur.

CAP. VIII. *Bellum cum Sexto Pompeio.*

SUblatis percussoribus Cæsaris, supererat Pompeii domus. Alter juvenum in Hispaniâ occiderat, alter fugâ evaserat: contractísque infelicis belli reliquiis, quum insuper ergastula armâsset, Siciliam, Sardiniámque habebat. Jam & classe medium mare insederat, ô quàm diversus à patre! Ille Cilicas extinxerat: hic secum piratas navales agitabat. Tantâ mole belli penitus in Siculo freto juvenis oppressus est: magnísque famam ducis ad inferos secum tulisset, si nihil tentâsset ulterius: nisi quod magnæ indolis signum est, sperare semper. Perditis enim rebus profugit; Asiámque velis petit, venturus ibi in manus hostium & catenas, & quod miserrimum est fortibus viris, ad hostium arbitrium sub percussore moriturus. Non alia post Xerxem miserabilior fuga. Quippe modo trecentarum quinquaginta navium dominus, cum sex septémve fugiebat, extincto Prætoriæ navis lumine, annulis in mare abjectis, pavens atque respectans, & tamen non timens ne periret.

CAP.

CAP. IX. *Bellum Parthicum duce Ventidio.*

QUamvis in Cassio & Bruto partes sustulissent; in Pompeio totum partium nomen abolêsset: nondum tamen ad pacis stabilitatem profecerat Cæsar, quum scopulus, & nodus, & mora publicæ securitatis supereſſet Antonius. Nec ille defuit vitiis, quin periret, immo omnia expertus ambitu & luxuriâ, primùm hostes, deinde cives, tandem etiam terrore sui sæculum liberavit. Parthi clade Crassianâ altiùs animos erexerant; civilésque populi Romani discordias læti acceperant: itaque ut prima adfulsit occasio, non dubitaverunt erumpere, ultro quidem invitante Labieno; qui missus à Cassio Brutóque (quis furor scelerum!) sollicitaverat hostes in auxilium; & illi Pacoro duce, regio juvene, dissipant Antoniana præsidia. Saxa legatus, ne veniret in potestatem, à gladio suo impetravit. Denique ablatâ Syriâ, emanabat latiùs malum, hostibus sub auxilii specie sibi vincentibus; nisi Ventidius, & hic legatus Antonü, incredibili felicitate & Labieni copias, ipsúmque Pacorum, & omnem Parthicum equitatum, toto inter Orontem & Euphratem sinu latè cecidisset. Viginti amplius millium fuit; nec sinè consilio ducis: qui simulato metu adeò passus est hostem castris succedere, donec absumpto jactûs spatio, adimeret usum sagittarum. Rex fortissimè dimicans cecidit. Mox circumlato ejus per urbes quæ desciverant capite, Syria sinè bello recepta. Sic Crassianam cladem Pacori cæde pensavimus.

CAP. X. *Bellum Parthicum cum Antonio.*

EXpertis invicem Parthis atque Romanis, quum Crassus atque Pacorus utrinque virium mutuarum documenta fecissent; pari rursus reverentiâ integrata amicitia: & quidem ab ipso fœdus Antonio cum rege percussum. Sed immensa vanitas hominis, dum titulorum cupidine, Araxem & Euphratem sub imaginibus suis legi concupiscit; neque causâ, nec consilio, ac ne imaginariâ quidem belli indictione, quasi hoc quoque ex arte ducis esset, obrepere; relictâ repentè Syriâ in Parthos impetum facit. Gens præter armorum fiduciam callida, simulat trepidationem, & in campos fugam: hic statim quasi victor sequebatur: quum subitò nec magna hostium manus, ex improviso, & jam in fessos viâ, sub vespere, velut nimbus erupit: & missis undique sagittis duas legiones operuerunt. Nihil acciderat in comparationem cladis, quæ in posterum diem imminebat, nisi interveniſſet deûm miseratio. Unus ex clade Crassianâ Parthico habitu castris adequitat, & salute Latinè datâ, quum fidem ipso fecisset, quid immineret, edocuit; *jam affuturum cum omnibus copiis regem: irent retro, peterentque montes: sic quoque hostem fortasse non defore.* atque ita sequuta est minor vis hostium quàm imminebat. Adfuit tamen; deletæque reliquæ copiæ forent, nisi urgentibus telis in modum grandinis, quâdam sorte, quasi docti, procubuissent in genua milites, & elatis super capita scutis, cæforum speciem præbuissent. Tum Parthus arcus inhibuit. Deinde Romani quum se rursus extulissent, adeò res miraculo fuit, ut unus ex barbaris miserit vocem; *ite, & bene valete, Romani; meritò vos victores fama gentium loquitur, qui Parthorum tela fugistis.* Non minor ex aquâ postea, quàm ab hostibus clades. Infesta primùm siti regio. Tum quibusdam Salmacidis fluvius infestior; novissimèque jam ab invalidis & avidè hauriebatur: quum noxiæ etiam dulces fuere. Mox & ardores per Armeniam; & nives per Cappadociam; & utriusque cœli subita mutatio pro pestilentiâ fuit. Sic vix tertiâ parte de sedecim legionibus reliquâ; quum argentum ejus passim dolabris concideretur; & subinde inter moras mortem à gladiatore suo effugitâsset egregius imperator; tandem perfugit in Syriam. Ibi incredibili quâdam mentis vecordiâ ferocior aliquanto factus est; quasi vicisset qui evaserat.

CAP. XI. *Bellum cum Antonio & Cleopatrâ.*

FUror Antonii quatenus per ambitum non interiret, luxu & libidine extinctus est. Quippe post Parthos, quum exosus arma in otio ageret, captus amore Cleopatræ, quasi bene gestis rebus, in regio se sinu reficiebat. Hæc mulier Ægyptia, ab ebrio imperatore, pretium libidinum Romanum imperium petit. Et promisit Antonius: quasi facilior esset Partho Romanus. Igitur dominationem parare, nec tacitè: sed patriæ, nominis, togæ, fascium oblitus, totus in monstrum illud ut mente, ita animo quoque, & cultu desciverat. Aureum in manu baculum; ad latus acinaces; purpurea vestis ingentibus obstricta gemmis; diadema aderat, ut reginâ rex ipse frueretur. Ad primam novorum motuum famam Cæsar à Brundisio trajecerat, ut venienti bello occurreret: positisque in Epiro castris, Leucadem insulam, montemque Leucaten, & Ambracii sinûs cornua, infestâ classe succinxerat. Nobis quadringentæ amplius naves: ducentæ non minus hostium: sed numerum magnitudo pensabat. Quippe à senis in novenos remorum ordinibus, ad hoc turribus atque tabulatis allevatæ, castellorum & urbium specie, non sinè gemitu maris, & labore ventorum ferebantur: quæ quidem ipsa moles exitio fuit. Cæsaris naves à triremibus in senos non ampliùs ordines creverant. Itaque habiles in omnia quæ usus poscebat, ad impetus & recursus flexûsque capiendos, illas graves, & ad omnia præpeditas, singulas plures adortæ, missilibus simul, tum rostris, ad hoc ignibus jactis, ad arbitrium dissipavere. Nec ullâ re magis hostilium copiarum apparuit magnitudo, quàm post victoriam. Quippe immensa classis, naufragio belli facto, toto mari ferebatur; Arabúmque, & Sabæorum, & mille aliarum gentium Asiæ spolia, purpuram aurumque in ripam assiduè mota ventis maria revomebant. Prima dux fugæ regina, cum aureâ puppe, veloque purpureo, se in altum

dedit. Mox sequutus Antonius: sed instare vestigiis Cæsar. Itaque nec præparata in Oceanum fuga; nec munita præsidiis utraque Ægypti cornua, Paræonium atque Pelusium, profuere. Propè manu tenebantur. Prior ferrum occupavit Antonius. Regina ad pedes Cæsaris provoluta tentavit oculos ducis frustra. Nam pulchritudo infra pudicitiam principis fuit. Nec illa de vitâ quæ offerebatur, sed de parte regni laborabat. Quod ubi desperavit à principe, servarisque se triumpho vidit, incautiorem nacta custodiam, in Mausoleum se (sepulchra regum sic vocant) recipit. Ibi maximos, ut solebat, induta cultus, in differto odoribus solio, juxta suum se collocavit Antonium: admotisque ad venas serpentibus, sic morte quasi somno soluta.

CAP. XII. *Bella adversùs gentes exteras.*

HIC finis armorum civilium. Reliqua adversùs exteras gentes: quæ, districto circa mala sua imperio, diversis orbis oris emicabant. Nova quippe pax: necdum assuetæ frenis servitutis tumidæ gentium inflatæque cervices, ab imposito nuper jugo resiliebant. Ad Septemtrionem conversa ferme plaga ferociùs agebat; Norici, Illyrii, Pannonii, Dalmatæ, Mysi, Thraces & Daci, Sarmaræ atque Germani. Noricis animos dabant Alpes atque nives, quò bellum non posset ascendere: sed omnes illius cardinis populos, Brennos, Senones atque Vindelicos, per privignum suum Claudium Drusum perpacavit. Quæ fuerit callidarum gentium feritas, facilè vel mulieres ostendere: quæ deficientibus telis, infantes ipsos afflictos humo in ora militum adversa miserunt. Illyrii quoque sub Alpibus agunt, imásque valles earum, ad quædam quasi claustra, custodiunt, abruptis torrentibus impliciti. In hos expeditionem ipse sumpsit; fierique pontes imperavit. Hìc se & aquis & hoste turbantibus, cunctanti ad ascensum militi scutum de manu rapuit: & in viâ primus, tunc agmine sequuto,

quum Illyricus multitudine pontem succidisset, saucius manibus ac cruribus, speciosior sanguine, & ipso periculo augustior, terga hostium percecidit. Pannonii duobus saltibus, ac tribus fluviis, Dravo, Savo, Histróque vallabantur. Populati proximos, intrà ripas se recipiebant. In hos domandos Vibium misit: cæsi sunt in utrisque fluminibus. Arma victorum non ex more belli cremata; sed capta sunt, & in profluentes data: ut cæteris, qui resistebant, victoria sic nunciaretur. Dalmatæ plerumque sub sylvas agunt: indè in latrocinia promptissimi. Hos jam quidem Marcius incensâ urbe Delminio quasi derruncaverat: postea Asinius Pollio gregibus, armis, agris multaverat, (hic secundus orator) sed Augustus perdomandos Vibio mandat: qui efferum genus fodere terras coëgit, aurúmque venis repurgare: quod alioquin gens omnium cupidissima, studiosâ diligentiâ acquirit; ut illud in usus suos servare videatur. Mysi quàm feri, quàm truces fuerint, quàm ipsorum etiam barbari barbarorum, horribile dictu est. Unus ducum, ante aciem postulato silentio, *Qui vos*, inquit, *estis?* Responsum invicem: *Romani, gentium domini.* Et illi, *Ita*, inquiunt, *si nos viceritis.* Accepit omen Marcus Crassus. Illi statim ante aciem immolato equo concepere votum, *ut cæsorum extis ducum & litarent, & vescerentur.* Deos audisse crediderim, nec tubam sustinere potuerunt. Non minimum terroris incussit barbaris Domitius centurio, satis barbaræ, efficacis tamen apud pares homines stoliditatis, qui foculum gerens super cassidem, suscitatam motu corporis flammam, velut ardenti capite fundebat. Ante hos, Thracum maximè populus desciverat. Ille barbarus & signis militaribus, & disciplinâ, armis etiam Romanis assueverat: sed à Pisone perdomiti, in ipsâ captivitate rabiem ostendere: quippe quum catenas morsibus tentarent, feritatem suam ipsi puniebant. Daci montibus inhærent; Cotisonis regis imperio, quoties concretus gelu Danubius junxerat ripas, decurrere solebant, &

vicina populari. Visum est Cæsari Augusto gentem aditu difficillimam submovere. Misso igitur Lentulo, ultra ulteriorem repulit ripam: citra, præsidia constituit. Sic tunc Dacia non victa, sed summota, atque dilata est. Sarmatæ patentibus campis inequitant: & hos per eundem Lentulum prohibere Danubio satis fuit. Nihil præter nives, raráque sylvas habent. Tanta barbaries est, ut pacem non intelligant. Germaniam quoque utinam vincere tanti non putâsset: magis turpiter amissa est, quàm gloriosè acquisita: sed quatenus sciebat patrem suum Cæsarem, bis trajecto ponte Rheno, quæsîsse bellum; in illius honorem concupiit facere provinciam: & factum erat, si barbari tam vitia nostra, quàm imperia ferre potuissent. Missus in eam provinciam Drusus, primos domuit Usipetes: indè Tenctheros percurrit, & Cattos. Nam Marcomanorum spoliis insignibus quendam editum tumulum in trophæi modum excoluit. Indè validissimas nationes, Cheruscos, Sueconque & Sicambros pariter aggressus est: qui viginti centurionibus incrematis, hoc velut sacramento sumserant bellum, adeò certâ victoriæ spe, ut prædam in antecessum pactione divisserint. Cherusci equos; Suevi aurum & argentum; Sicambri captivos elegerant; sed omnia retrorsum. Victor namque Drusus equos, pecora, torques eorum, ipsósque prædâ divisit, & vendidit. Præterea in tutelam provinciarum, præsidia atque custodias ubique disposuit; per Mosam flumen; per Albim; per Visurgim. Nam per Rheni quidem ripam quinquaginta amplius castella direxit. Bonnam & Gesoniam cum pontibus junxit, classibúsque firmavit. Invisum atque inaccessum in id tempus Hercynium saltum patefecit. Ea denique in Germaniâ pax erat, ut mutati homines, alia terra, cœlum ipsum mitius molliúsque solito videretur. Denique non per adulationem, sed ex meritis, defuncto ibi fortissimo juvene, ipsi, quod nunquam aliàs, senatus cognomen ex provinciâ dedit. Sed dif-

ficilius est provincias obtinere, quàm facere: viribus parantur, jure retinentur. Igitur breve id gaudium. Quippe Germani victi magis, quàm domiti erant: moresque nostros magis quàm arma sub imperatore Druso suspiciebant: postquam verò ille defunctus, Vari Quinctilii libidinem ac superbiam, haud secus quàm sævitiam odisse cœperunt. Ausus ille agere conventum, & in castris jus dicebat, quasi violentiam barbarorum & lictoris virgis, & præconis voce posset inhibere: at illi, qui jam pridem rubigine oblitos enses, inertésque mœrerent equos, ut primùm togas, & sæviora armis jura viderunt, duce Arminio arma corripiunt: quum interim tanta erat Varo pacis fiducia, ut ne prædictâ quidem, & proditâ per Segestem, unum principum, conjuratione commoveretur. Itaque improvidum, & nihil tale metuentem improvisò adorti, quum ille (ô securitas) ad tribunal citaret; undique invadunt, castra rapiunt, tres legiones opprimuntur. Varus perditas res eodem, quo Cannensem diem Paullus, & fato est & animo sequutus. Nihil illâ cæde per paludes, perque sylvas cruentius: nihil insultatione barbarorum intolerantius, præcipuè tamen in causarum patronos. Aliis oculos, aliis manus amputabant: unius os sutum, recisâ priùs linguâ, quam in manu tenens barbarus, *tandem*, inquit, *vipera, sibilare desiste*. Ipsius quoque consulis corpus, quod militum pietas humi abdiderat, effossum. Signa & aquilas duas adhuc barbari possident: tertiam signifer priùs quam in manus hostium veniret, evulsit; mersamque intrà baltei sui latebras gerens, in cruentâ palude sic latuit. Hâc clade factum, ut imperium, quod in littore Oceani non steterat, in ripâ Rheni fluminis staret. Hæc ad Septemtrionem. Sub Meridiano tumultuatum magis, quàm bellatum est. Musulanios atque Gætulos accolas Syrtium, Cosso duce compescuit: unde illi *Gætulici* nomen. Latius victoria patet. Marmaridas atque Garamantas Curinio subigendos dedit. Potuit & ille redire *Marma-*

ricus, sed modestior in æstimandâ victoriâ fuit. Ad Orientem plus negotii cum Armeniis: huc alterum ex Cæsaribus nepotibus suis misit. Ambo fato breves; sed alter inglorius. Massiliæ quippe Lucius morbo solvitur: in Syriâ Caius ex vulnere, quum Armeniam ad Parthos se subtrahentem recipit. Armenios, victo rege Tigrane, in hoc unum servitutis genus Pompeius assueverat, ut rectores à nobis acciperent. Intermissum ergo jus per hunc recuperatum, non incruento, nec inulto tamen certamine. Quippe Domnes, quem rex Artaxatis præfecerat, simulatâ proditione, adortus virum intentum libello, quem, ut thesaurorum rationes continentem, ipse porrexerat, strictus ac recreatus ex vulnere in tempus. Cæterùm barbarus undique infesto exercitu oppressus, gladio, & pyrâ, in quam se percussus immisit, superstiti etiamnum Cæsari satisfecit. Sub Occasu pacata ferè omnis Hispania, nisi quam Pyrenæi desinentis scopulis inhærentem citerior alluebat Oceanus. Hìc duæ validissimæ gentes, Cantabri & Astures, immunes imperii agitabant. Cantabrorum & pejor, & altior, & magis pertinax in rebellando animus fuit; qui non contenti libertatem suam defendere, proximis etiam imperitare tentabant, Vaccæósque, & Curgonios, & Aurigonas crebris incursionibus fatigabant. In hos igitur, quia vehementiùs agere nunciabantur, non mandata expeditio, sed sumpta est. Ipse venit Sagesamam; castra posuit: indè partito exercitu totam in diem amplexus Cantabriam, efferam gentem, ritu ferarum, quasi indagine debellabat. Nec ab Oceano quies, quum infestâ classe ipsa quoque terga hostium cæderentur. Primùm adversùs Cantabros sub mœnibus Belgicæ prœliatus est. Hinc fuga in eminentissimum Vinnium montem, quem maria priùs Oceani, quàm arma Romana ascensura esse crediderant. Tertiò Arracillum oppidum magnâ vi repugnat. Captum tamen postremò fuit. Medulli montis obsidio (quem perpetuâ quindecim millium

fossâ comprehensum cinxit undique simul adeunte Romano) postquam extrema barbari vident; certatim igne, ferro inter epulas, venenóque, quod ibi vulgò ex arboribus taxeis exprimitur, præcepere mortem: séque pars major à captivitate, quæ videbatur, vindicavere. Hæc per Antistium, Furnium, Agrippam legatos, hybernans in Tarraconis maritimis Cæsar accepit. Ipse præsens hos deduxit montibus: hos obsidibus astrinxit: hos sub coronâ jure belli venumdedit. Digna res lauro, digna curru senatui visa est: sed jam Cæsar tantus erat, ut posset triumphos contemnere. Astures per idem tempus ingenti agmine à montibus suis descenderant. Nec temere sumptus, ut barbaris, impetus: sed positis castris apud Asturam flumen, trifariam diviso agmine, tria simul Romanorum castra aggredi parabant. Fuisset & anceps, & cruentum, & utinam mutuâ clade certamen, tunc tam fortibus, tam subitò, tam cum consilio venientibus; nisi Trigæcini prodidissent: à quibus præmonitus Carisius, cum exercitu adveniens oppressit consilia. Sic quoque tamen non incruento certamine. Reliquias fusi exercitûs validissima civitas Lancia excepit: ubi adeò certatum est, ut quum in captam urbem faces poscerentur, ægre dux impetraverit veniam, *ut victoriæ Romanæ stans potiùs esset, quàm incensa monumentum.* Hic finis Augusto bellicorum certaminum fuit; idem rebellandi finis Hispaniæ. Certa mox fides, & æterna pax; cùm ipsorum ingenio, in pacis partes promptiore; tum consilio Cæsaris, qui fiduciam montium timens, in quos se recipiebant, castra sua, sed quæ in plano erant, habitare & incolere jussit. Ingentis esse consilii illud observari cœpit. Natura regionis circa se omnis aurifera, miniisque & chrysocollæ, & aliorum colorum ferax. Itaque exerceri solum jussit. Sic Astures & latentes in profundo opes suas atque divitias, dum aliis quærunt, nôsse cœperunt. Omnibus ad Occasum & Meridiem pacatis gentibus, ad Septemtrionem quoque, dun-

taxat intrà Rhenum atque Danubium; item ad Orientem intrà Taurum & Euphratem; illi quoque reliqui, qui immunes imperii erant, sentiebant tamen magnitudinem, & victorem gentium populum Romanum reverebantur. Nam & Scythæ misere legatos, & Sarmatæ, amicitiam petentes. Seres etiam, habitantésque sub ipso sole Indi, cum gemmis & margaritis, elephantes quoque inter munera trahentes, nihil magis quàm longinquitatem viæ imputabant, quam quadriennio impleverant; & tamen ipse hominum color ab alio venire cœlo ferebatur. Parthi quoque, quasi victoriæ pœniteret, rapta clade Crassianâ ultro signa retulere. Sic ubique cuncta atque continua totius generis humani aut pax fuit, aut pactio. Ausúsque tandem Cæsar Augustus septingentesimo ab Urbe conditâ anno, Janum Geminum claudere bis ante se clusum; sub Numâ rege, & victâ primùm Carthagine. Hinc conversus ad pacem, pronum in omnia mala, & in luxuriam fluens sæculum, gravibus severísque legibus multis coercuit. Ob hæc tot facta ingentia *Dictator perpetuus*, & *Pater patriæ* dictus. Tractatum etiam in senatu, an quia condidisset imperium, *Romulus* vocaretur: sed sanctius & reverentius visum est nomen *Augusti*; ut scilicet jam tum dum colit terras, ipso nomine & titulo consecraretur.

INDEX

RERUM maximè memorabilium.

Prior numerus caput, posterior paginam denotat.

ALba Latio caput 1, 3. dirut 3, 5.
Alliam ad flumen cum Gallis prœlium 13, 13.
Allobroges domiti ab Ænobarbo & Fabio Maximo 2, 52.
Alpina corpora nivibus similia 4, 28.
Ancus Marcius 4, 6.
Annibal in Italiam venit 6, 26 cum Scipione in Africâ dimicat 6, 35.
Antiochi regis Syriæ ignavia & luxuria 8, 37.
Antium. Spolia de eo parta 11, 11.
Antonii vecordia in expeditione Creticâ 7, 61. Parthicâ 10, 97. in amore Cleopatræ 11, 98.
Apollo Cumanus sudat 8, 37.
Appii decemviri in Virginiam insolentia 24, 22.
Appius Claudius auspiciorum contemtor 2, 26.
Appuleii Saturnii seditio 16, 69.
Asylum Romuli 1, 3.
Athenio Cilix servorum exercitum in Siciliâ conflat 19, 73.
Attalus rex Pergamenorum Romanis res suas testamento relinquit 20, 49.
Attius Navius augur 5, 6.

B.

BAleares piratæ, optimi funditores 8, 61.
Britanniam Cæsar adit 10, 64.
Brutus liberos suos securi percussit 9, 9. Aruntem Tarquinium occidit 10, 10.
Brutus & Cassius Cæsaris interfectores contra Octavium & Antonium dimicantes, vincuntur, mortemque sibi inferunt 7, 93. &c. Bruti malus Genius *ib.*

C.

CÆsar Julius, quæ gessit in Galliâ & Britanniâ 10, 62. &c. cum Pompeio pugnat 2, 81. Brundisium summo cum periculo navigat 2, 85. Ægyptiorum manibus vix elabitur 2, 87. Pharnacem vicit antequam vidit *ib.* Mundæ prœlio ancipiti de morte occupandâ cogitat 2, 90. ejus honores & cædes 2, 90, 91.
Cæsar Octavius 3, 91. Antonium exuit castris 4, 92. intrâ Perusiæ muros redigit 5, 93. Cassium & Brutum devincit 7, 94. Augustus appellatus 12, 105.
Camillus ex urbe Gallos pellit 13, 14. exulat 22, 21.
Campania, pulcherrima Italiæ

plaga 16, 15.
Cannis quadraginta millia Romanorum cæsa 6, 30.
Capua Annibali Cannæ 6, 31.
Carthago à suis incolis incensa, per continuos decem & septem dies arsit 15, 43.
Castor & Pollux prœliis interesse creduntur 10, 11. 12, 41. 3, 54.
Cassius. vid. Brutus.
Catilinarium bellum 1, 80.
Cato Uticæ mortem sibi accivit 2, 88.
Caudinas apud furculas clades Romanorum 16, 16.
Ciceronis caput in rostris 6, 93.
Cilices piratæ à Pompeio subjugati 6, 59.
Cimbri, Theutoni, Tigurini à Mario oppressi 3, 52.
Cimbricæ feminæ bellatrices 3, 54.
Ciminius saltus 17, 17.
Cleopatra J. Cæsarem habet patronum 2, 87. Antonium amasium 11, 98. Augustum frustra sollicitat 11, 99. admotis ad venas serpentibus extinguitur 11, 99.
Cloelia per Tiberim equitat 10, 10.
Consules instituti 8, 9.
Corinthus incensa, indè æs Corinthium 16, 44.
Coriolanus, matris lacrymis exarmatus 22, 21.
Corvinus quare sic dictus 13, 14.
Crassus cum exercitu perit in Parthiâ 11, 65. ditissimus cùm fuit, auctiores opes voluit 2, 82.
Cyprus implevit ærarium Romanorum 9, 62.

D.

Decius consul se devovet 14, 15. itidem alter 17, 7
Drusi Livii seditio 17, 70.
Duillius consul Punicam classem profligat 2, 24.

E.

Unus Syrus servile bellum in Siciliâ concitat 19, 72.

F.

Fabii trecenti apud Cremeram cæsi 12, 11.
Fabius Maximus contra Samnites pugnat 17, 17. ille cunctator 6, 32.
Falisorum ludimagister remissus 12, 11.
Fontes veneno inficit Aquilius 20, 49.

G.

Galli Senones, quales homines 13, 12. Romam invadunt 13, 13. Gallorum Insubrium impetus 4, 28.
Germanici Cæsaris res gestæ in Germaniâ 12, 101.
Gracchorum Tiberii & Caii seditiones 14, 15, 68.

H.

Hierosolymam Pompeius intrat 5, 58.
Hispaniæ variæ partes à Romanis subactæ 17, 45.
Horatii cum Curiatiis certamen 3, 5.
Horatius Cocles Tiberim transnatat armatus 10, 9.

I.

Janus primò clausus 2, 4. secundò 3, 27. tertiò 12, 105.
Juba & Petreius se mutuò jugulant 2, 88.
Jugurtha post Annibalem Romanis terrori 1, 50. à Metello, Mario, & Syllâ domitus, à Boccho traditus 1, 51.
Jupiter Feretrius 1, 3. 12, 12. 4, 28. Stator 1, 4.

L.

Lepidi consulatu bellum civile 23, 79. divitiarum cupido 6, 93.
Lucii & Caii, Cæsaris nepotum, fata 12, 103.
Lucretiæ stuprum 7, 8.
Lucullus Mithridatis copias terrâ marique cædit 5, 57.

M.

Macedonia accedit Romanis 7, 35.
Manlius Capitolium defendit 13, 13. indè dejectus 26, 23.
Marius dux adversùs Jugurtham 1, 51. adversùs Cimbros &c. 3, 53. cum Syllâ bellum civile gerit 21, 75. &c.
Massilia J. Cæsari portas claudit 2, 83.
Matrimonia plebeiorum cum patriciis agitata 25, 22.
Menenius Agrippa plebem dissidentem revocat 23, 21.
Metellus adversùs Jugurtham missus 1, 51. Cretas reprimit 7, 61. indè Creticus ib.
Metellus Balearicus 8, 61.
Metius Fufetius equis distractus 3, 5.
Mithridates edicto Romanæ civitatis Asiaticos interfici jubet 5, 56.
Mucius Scævola Porsenam aggreditur 10, 10.
Mundæ prœlium 2, 89.

N.

Numæ Pompilii acta 2, 4. Numantiæ excidium 18, 46.

O.

Octavius Cæsar ulciscitur patrem, & summam rerum obtinet 3, 91. &c. Augustus appellatus 12, 105. Janum claudit ib.

P.

Pales templum posuit 20, 20
Parthi Crassum cum exercitu cædunt 11, 65. ipsi à Ventidio cæsi 9, 96. Antonium contra fœdus dimicantem fugant 10, 97. signa clade Crassianâ rapta Romam ultro retulerunt 12, 105.
Perses Macedo à Romanis victus & triumphatus 12, 40.
Pharsalia pugna 2, 88. 7, 94.
Philippicis campis Cæsar & Pompeius signa conferunt 2, 85.
Pompeius Magnus Mithridatem regno exuit 5, 56. Piratas Cilicas coërcet 6, 59. decertat cum Cæsare 2, 81. &c. in Ægypto trucidatus 2, 86.
Pompeius Sextus perditâ classe profugit 8, 95.
Porsena Tarquinios Romam reducit 10, 9.
Pseudophilippus Macedo, vero nomine Andriscus 14, 41.
Pyrrhi cum Romanis certamina 18, 18. de virtute eorum sententia 18, 19.

Q.

Quinctilii Vari libido, superbia, securitas, quibus tres legiones in Germaniâ pessundat 12, 102.
Quinctius, dictator ab aratro 11, 11.
Quirinus, in cœlo Romulus 1, 4

R.

Regilli ad lacus dimicatur cum Latinis 10, 11.
Regulus in Africam progressus, Pœnos urget 2, 25. tandem clade affectus & captus 2, 26.
Regum Romanorum diversa ingenia 8, 8.

Remus occisus 1, 3.
Romani populi ætates, *præm.* 2. de orbe victoriæ ducentis annis 1, 23. primum navale bellum 2, 24. post Cannensem cladem virtus 6, 31, 32, 33.
Romuli historia 1, 2.

S.

SAbinarum raptus 1, 3.
Saguntus deleta 6, 29.
Salandicus Celtiberorum dux 17, 46.
Samnites, qualis gens 16, 16.
Scelerata porta, unde sic dicta 12, 11.
Scipionem in manus hostium venturum filius eripit 6, 30. idem qui postea Africanus *ib.* & 6, 33.
Seditiones militum plebisque in duces 22, 21.
Senatus à Romulo institutus 1, 4.
Serpens apud Bragadam Regulum vexat 2, 26.
Sertorianum bellum 22, 78.
Servile bellum 19, 72.
Servius Tullius 6, 6.
Sociale bellum 18, 71.
Spartacus Thrax gladiator bellum movet 20, 73.
Spolia opima. vid. Jupiter Feretrius.
Sylla Mithridatem reprimit 5, 56. cum Mario bellum civile movet 21, 75.
Syracusæ Romanis cedunt 6, 32.
Syria Romanis cedit 8, 37.

T.

TAnaquil, Servii Tullii uxor 6, 6.
Tarentus, Lucaniæ caput 18, 17.
Tarpeia prodit portas Sabinis 1, 3.
Tarquinius Priscus 4, 6.
Tarquinius Superbus 7, 7.
Telluri deæ ædes promissa 19, 20.
Thalam, gravem armis thesauróque Jugurthæ arcem, diripit Metellus 1, 51.
Theutoni ac Tigurini domiti 3, 52.
Thracum immanis sævitia 4, 55.
Ticinus, Trebia, Trasimenus lacus, Romanorum cladibus celebres 6, 30.
Torquatus, unde 13, 14. filium suum contra imperium pugnantem occidit 14, 15.
Tribunatus institutus 23, 21.
Tullus Hostilius 3, 5.

U.

VEntidius Parthos clade afficit 9, 56.
Viriatus Lusitanus suos erigit 17, 46.

X.

XAnthippus Lacedæmonius Romanos bello superat 2, 26.

Z.

ZAmam Numidiæ arcem frustra obsidet Metellus 1, 51.

LUCIUS AMPELIUS

MACRINO SUO SAL.

VOLENTI tibi omnia nôsse scripsi hunc Librum memorialem, ut nôris, quid sit mundus, quid elementa, quid orbis terrarum ferat, vel quid genus humanum peregerit.

De Mundo.

MUndus, est universitas rerum, in quo omnia sunt, & extra quem nihil, qui Græcè dicitur κόσμος. Elementa mundi IV. Ignis, ex quo est cœlum. Aqua, ex quâ mare oceanum. Aër, ex quo venti & tempestates. Terra, quam, propter formam ejus, orbem terrarum appellamus. Cœli regiones sunt quatuor: oriens, occidens, meridies, septentrio. Cœlum dividitur in circulos quinque: Arcticum & Antarcticum, qui ob nimiam vim frigoris inhabitabiles sunt: Æquinoctialem, cui subjacet regio, quæ catacecaumene dicitur, neque incolitur, ob nimiam vim ardoris: Brumalem & Solstitialem, sub quibus habitatur; sunt enim temperatissimi, per quos obliquus circulus vadit, cum XII signis, in quibus Sol annuum conficit cursum.

De duodecim Signis.

Signa sunt in cœlo duodecim. Aries beneficio Liberi, quòd, is cùm exercitum in Indiam per Libyam duceret per loca sicca & arenosa, cùm aquæ inopia esset, & exercitus ejus siti adfligeretur, aries eis aquam demonstravit, & ob id à Libero Jovis Ammon est appellatus, eique fanum magnificum fecit ad eum locum, ubi aquam invenit. Quod abest ab Ægypto & Alexandriâ millia passuum novem. Ob eam rem à Jove petiit, ut in sidera reciperetur. Alii putant, eum esse qui Hellen & Phryxum vexerit. Taurus beneficio Jovis, quem Jupiter à Neptuno fratre per gratiam abduxit, qui sensum humanum figurâ Tauri continebat, isque Jovis jussu Europam Agenoris filiam, Sidoniâ adludens decepit, & eam Cretam deportavit. Ob eam rem Jupiter in sideribus eum dignatus est immortali memoriâ. Gemini, qui Samothraces nominantur esse, quorum argumentum nefas est pronunciare præter eos, qui in his præsto sunt. Alii Castorem & Pollucem dicunt, quòd hi principes mare tutum à prædonibus præstitissent. Sunt qui dicunt Herculem & Theseum, quòd similia athla sint adepti. Cancer, Carcinus receptus beneficio Junonis, quòd ejus jussu cùm Hercules missus esset ad Hydram Lernæam, quam nos Excetram dicimus, interficiendam, Carcinus ingressus, Herculis pedes & crura lanians, incommodiorem faciebat eum, quàm ipsa Excetra. Idque malum Hercules difficillimum habuit: Carcinúmque Cancrum ob id factum Juno sideribus est dignata. Leo, Leon, qui educatus est Nemeæ, Junonis consilio ad Herculis interitum missus, in terrâ Argivâ diu speluncâ latitavit, quem Hercules dicitur interfeciſſe cum Molorcho hospite suo, cujus clavam ei tributam tum principio est adeptus, quâ Leonem interfecit, ejusque pellem postea pro tegumento habuit. Ob id factum Junoni odio esse cœpit, Leonémque cœlesti dignitate est honorata. Virgo, quam nos justitiam dicimus, fuit cum hominibus. Sed postquam homines malefacere cœperunt, Jovis eam inter signa posuit. Sunt qui Erigonem Icarii filiam Athenienſem dicunt, cujus patri Liber vinum dedit, ut hominibus ad suavitatem daret. Quibus dedit, ebriati sunt, & lapidibus eum occiderunt. Canis, qui cum illo erat, vidit hominem occisum, & cum ululatu ad Erigonem redit, quem ut mœstum & singularem vidit, sollicita proficiscitur cum eo. Venere ad locum ubi Icarius jacebat. Vidit corpus patris. Magnâ lamentatione in Hymetto monte sepelivit. Ipsa verò se suspendit laqueo. Canis ad pedes ejus discumbens diutius, & sinè alimentis deficiens, post aquam anhelans in puteum se projecit. Tum Liber à Jove petit, quòd suo imperio deficerent, ut inter siderum cursus poneretur Virgo. Icarius autem Arcturus nominatus est, cujus stella, cùm exoritur, continuas tempestates facit. Canis, Canicula. Libra, quam græci Zygon appellant, virile nomen est adeptus. Is omni clementiæ justitiâ Mochos dictus; qui primus dicitur libræ pondus hominibus inveniſſe, quæ utiliſſima mortalibus æstimantur, ideóque in numerum stellarum receptus est, & Libra est dictus. Scorpius, qui dicitur ad perniciem Orionis in insulâ Chio in monte Pelenæo voluntate Dianæ natus. Orion autem dum venatur, visâ Dianâ, stuprare eam voluit. Illa Scorpionem subjecit, qui eum vitâ privaret. Jupiter & Scorpionem & Orionem inter sidera recepit. Sagittarius Crotopi filius, nutricius Musarum, quæ Musæ semper dilexerunt eum, quòd plausu & lusu sagittarum eas avocaret. Alii Chironem dicunt, quòd justus & pius, doctus, hospitalis fuerit. Ab eo Æsculapius medicinam, Achilles citharam, & alia multa. Capricornus, cui nomen Pan. Quo tempore Python speluncas incolens in monte Tauri, Ægyptum profectus est ad bellum, Pan se in capræ figuram convertit. Igitur dii immortales postquam Pythonem dignâ pœnâ affecerunt, Pana astrorum me-

moriâ decoraverunt. Aquarius, qui putatur esse Ganymedes, dicitur Deucalion Thessalus, qui maximo cataclysmo cum uxore Pyrrhâ solus evasit, & hic pieratis causâ inter sidera locatus est. Pisces, ideo pisces quia bello Gigantum Venus perturbata in piscem se transfiguravit. Nam dicitur & in Euphrate fluvio ovum piscis in orâ fluminis columba adsedisse dies plurimos, & exclusisse deam benignam, & misericordem hominibus ad bonam vitam. Utrique memoriæ causâ pisces inter sidera locati.

De Sideribus.

PRæter duodecim signa, potentissima sidera in cœlo Septentriones duo, major & minor, qui nunquam merguntur; ideóque navium cursus regunt, quorum alter Cynosura dicitur. Bootes, idem Arcturus. Orion, qui magnitudine suâ dimidiam cœli obtinet partem. Pleiades, quæ Latinè Virgiliæ dicuntur. Hyades, quæ à nobis Suculæ dicuntur, quarum ortus & occasus à nautis & ab agricolis observantur. Canicula, cujus vis præcipuè Solstitio est. Stellæ potentissimæ in cœlo sunt septem, Saturnus, Sol, Luna, Mars, Mercurius, Jupiter, Venus, quæ à Græcis planetæ, à nobis erraticæ dicuntur, qui ad arbitrium suum vagantur, & motu suo hominum fata moderantur. Item adverso cursu contra cœlum feruntur.

Quibus partibus sedeant XII *signa duodecim ventorum.*

ARies, in Africum. Taurus, in Circium. Gemini, in Aquilonem. Cancer, in Septentrionem. Leo, in Thrasciam. Virgo, in Argesten. Libra, in Zephyron. Scorpius, in Africum. Sagittarius, in Austrum & Africum. Capricornus, in Austrum. Aquarius, in Eurum & Notum. Pisces, in Eurum.

De

De Ventis.

VEnti fiunt ex aëris motu & inclinatione. Sunt autem generales quatuor. Eurus, idem Apeliotes, idem Vulturnus, ab oriente. Ab occidente, Zephyrus, idem Corus, idem Favonius. Aquilo, Boreas, Aparcias idem, à septentrione. Notus, idem Libs & Auster, & Africus, à meridie. Hi sunt quatuor generales, cæteri speciales adscribuntur. Ut Iapyx Zephyro, qui ab Iapygio Apuliæ promontorio flat. Leuconotus Noto, cùm serenior flat. Caurus Aquiloni, cùm vehementior Gallias perflat. Item Etesiæ, qui statis diebus flant per æstatem.

De Orbe Terrarum.

ORbis terrarum qui sub cœlo est, quatuor regionibus incolitur. Una pars ejus est, in quâ nos habitamus. Altera huic contraria, quam qui incolunt, vocantur Antichthones. Quarum inferiores duæ ex contrario harum sitæ, quas qui incolunt, vocantur Antipodes. Orbis terrarum, quem nos colimus, in tres partes dividitur, totidémque nomina. Asia, quæ est inter Tanain & Nilum. Libya, quæ est inter Nilum & Gaditanum sinum. Europa, quæ est inter fretum & Tanain. In Asiâ clarissimæ gentes: Indi, Seres, Persæ, Medi, Parthi, Arabes, Bithyni, Phryges, Cappadoces, Cilices, Syri, Libyi. In Europâ clarissimæ gentes, Scythæ, Sarmatæ, Germani, Daci, Mœsi, Thraces, Macedones, Dalmatæ, Pannonii, Illyrici, Græci, Itali, Galli, Spani. In Libyâ gentes clarissimæ, Æthiopes, Mauri, Numidæ, Pœni, Getuli, Garamantes, Nasamones, Ægyptus. Clarissimi montes in orbe terrarum; Caucasus, in Scythiâ; Emodus, in Indiâ. Libanus, in Syriâ. Olympus, in Macedoniâ. Hymettus, in Atticâ. Taygetes, in Lacedæmoniâ; & Citheron Eleon, in Bœotiâ. Parnassus, Acroceraunia, in Epiro. Mænalus, in Arcadiâ. Appenninus, in Italiâ. Eryx, in Siciliâ. Alpes inter Galliam & Italiam. Pyrenæus inter Galliam &

Spaniam. Atlas in Africâ. Calpe in freto Oceani. Clariſſima flumina in orbe terrarum: Indus, Ganges, Hydaſpes in Indiâ. Araxes, in Armeniâ. Thermodon & Phaſis, in Colchide. Tanais, in Scythiâ. Strimon & Hebrus, in Thraciâ. Sperchios, in Theſſaliâ. Hermus & Pactolus, auriferi. Mæander & Cayſtrus, in Lydiâ. Cydnus, in Ciliciâ. Orontes, in Syriâ. Simois & Xanthus, in Phrygiâ. Eurotas, Lacedæmone. Alpheus, in Elide. Ladon, in Arcadiâ. Achelous & Inachus, in Epiro. Savus & Danubius, qui idem Iſter cognominatur, in Mœſiâ. Eridanus & Tiberinus, in Italiâ. Timavus, in Illyrico. Rhodanus, in Galliâ. Iberus & Bætis, in Spaniâ. Bagrada, in Numidiâ. Triton, in Getuliâ. Nilus, in Ægypto. Tigris & Euphrates, in Parthiâ. Rhenus, in Germaniâ. Clariſſimæ inſulæ in mari noſtro undecim: Sicilia, Sardinia, Creta, Cypros, Eubœa, Leſbos, Rhodos, duæ Baleares, Eubuſus, Corſica, Gades. In oceano ad orientem, Taprobane. Ad occidentem Britannia. Ad ſeptentrionem Thyle. Ad meridiem, Inſulæ Fortunatæ. Præter has in Ægæo mari, Cyclades duodecim: Delos, Gyaros, Myconos, Andros, Paros, Pharos, Tenedos, Cythnos, Melos, Naxos, Donuſa. Præter has Sporades innumerabiles; cæterùm celeberrimæ, Ægina, Salamina, Coos, Chios, Lemnos, Samothracia. In Ionio Echinades, Strophades, Ithaca, Cephalenia, Zacynthos. In Adriatico Ciritæ circiter mille. In Siculo Æoliæ VIII. In Gallico Stœchades tres. In Syrtibus Cercina, & Menynx, & Girrha.

De marium ambitu.

MAre, quo cingimur, univerſum vocatur Oceanus. Hoc quatuor regionibus inrumpit in terras. A ſeptentrione, vocatur Caſpium. Ab oriente, Perſicum. A meridie, Arabicum, idem Rubrum & Erythræum. Ad occaſum, Magnum mare, idem Atlanticum, quod commerciis totius generis humani peragitur. Hoc

intrat in fretum Gaditanum inter duos montes clariſſimos Abinnam & Calpen, ob impoſitas Herculis columnas. Dein latiſſimè ſimul & longiſſimè fuſum medium terrarum orbem inundat, & nomina adquirit. Balearicum, quod Hiſpaniam adluit. Gallicum, quod Gallias tangit. Liguſticum, quod Liguribus infunditur. Tuſcum, Tyrrhenum, idem inferum, quod dextrum Italiæ latus circuit: Hadriaticum, idem ſuperum, quod ſiniſtrum Italiæ latus circuit. Siculum, in quo Sicilia. Creticum, in quo inſula eſt Creta. Ionium & Ægæum, quæ Achaiam, eandem Peloponneſon, ſimul ambiunt; ut interveniente Iſthmo penè inſulam faciant. Myrtoum & Icarium, quæ adhærent Ægæo mari, illud à Myrtilo, hoc ab Icaro cognominata. Euxinum, Ponticum, quod ingenti ſinu Scythis infunditur. Helleſponticum fauce tranſmiſſum, inter duas celeberrimas urbes, Seſton Aſiæ, Abydon Europæ. Tanaiticum, quo Aſia alluitur. Ægyptium ab Ægypto, Libycum à Libyâ cognominatur. Syrticum, à duabus Syrtibus, reciprocis æſtibus retorquetur.

Miracula Mundi.

MIracula quæ in terris ſunt. Ab Apolloniâ Athamantiâ mille paſſus quinque, in monte Nympheo, ibi ignis eſt, & de terrâ exit flamma. In ſylvâ Panis ſymphonia in oppidum auditur. Item ſub eo monte in campo lacus aquæ pleni, unde pix exit & bitumen. Cùm manibus ſupplodas, pix altè attollitur, & quaſi ab aquâ bulleſcit. Ambraciæ in Epiro in pariete ſunt picti Caſtor & Pollux & Helena, manu Autochthonis, & nemo invenire poteſt quis pinxerit. Arcis in Epiro quod Ippaton appellatur: ibi pons magnus columnatus duplex, quem Medea ædificari imperâſſe fertur. Ibi picta ſunt gubernacula Argonautarum, quæ cœpta navis; ibi Jovis templum Hyphonis, unde eſt ad inferos deſcenſus ad tollendas ſortes. In quo loco dicunt, duo qui deſcenderunt, Jovem ipſum videre. Leucade mons:

unde se Sappho dejecit propter virum. In summo monte fanum est Apollinis, ubi sacra fiunt. Et cùm homo indè desiluit, statim excipitur lintribus. Sicyone in Achaiâ, in foro ædes Apollinis est. In eâ sunt posita Agamemnonis clypeus & machæra, Ulyssis chlamys & thoracium, Teucri sagittæ & arcus, Adrasti, arca quam deposuit, in quâ quid sit ignoratur; sed & olla ærea in quâ Pelias coctus dicitur. Item Palamedis cithara. Marti autem quoque corium, remi Argonautarum, & gubernaculi brachia, caeculus quem Minerva sortita est. De Orestæ cervice una proci parasiti palla pendet, quam si quis halitu afflaverit, tota patefit. Penelopæ tela. Ibi de terrâ oleum scaturit. Argis Inachiæ Junonis templum magnificè ornatum, quod Asylum vocant. Olympiæ templum Jovis nobile; ubi athletæ initiantur. Corintho balænæ costa est magna secundùm mare, quam homo complecti non potest. Eodem in loco fanum est Veneris; in quo vas marmoreum Laïdos. Bœotiæ lacus sacer; ubi Amphiaraus devoratus in eo lacu est. Urceus fictilis fractus pendet, testa inter se compositа, unde autem pendeat, non apparet, nisi à vento moveatur. Athenis Minervæ ædes nobilis, cujus ad siniſtram Clypeus oppositus, quem digito tangit. In quo Clypeo medio Dædali est imago ita collocata, quam si quis imaginem è Clypeo velit tollere, perit totum opus, solvitur enim signum. Ipsa autem dea habet hastam de gramine. Ilio lapis quadratus, ubi Cassandra fuit alligata, quem si antè tangas aut fricueris, lac demittit; ex alterâ autem parte similiter si fricueris, ac si sanguinem remittit. Juxta autem mare qui locus Rhœte vocatur, ibi est Achillis & Patrocli vultus, & flumen Scamandras. Epheso Dianæ fanum nobilissimum maximum pulcherrimúmque orbis terrarum. Introitu dextrâ, siniſtrâ postes marmorei monolithi longi cubitis xx, quà super templum ascensu sunt cxl millia. Samo in templo Junonis Scyphus factus ex hederâ, cujus capita foras iv.

arietina magna, cornibus miræ magnitudinis contortis. Pergamo ara marmorea magna, alta pedes xl, cum maximis sculpturis. Continet autem gigantomachiam. Rhodo signum Dianæ marmoreum pulcherrimum, quod stat sub divo cœlo, nec, cùm pluit, aquâ tangitur. Argyro est fanum Veneris super mare, ibi est lucerna super candelabrum posita, lucens ad mare sub divo cœlo, quam neque ventus extinguit, nec pluvia aspergit. Sed & Herculis ædes antiqua; ibi columnâ pendet cavea ferrea rotunda, in quâ conclusa Sibylla dicitur. Ibi jacent ossa balænæ, quasi lapides quadrati. Marmesiæ apud Sipilum columnæ sunt iv, inter has columnas est victoria ferrea, pendens sinè aliquo vinculo in aëre ludens. sed quotiens ventus aut pluvia fuerit, non movet. Ædes Dianæ Ephesо, quam constituit Amazon. Ibi & sepulchrum Icari stertentis quasi dormiat, miræ magnitudinis, ex orichalco & ferro. Rhodo Colossi signum Solis altum super columnâ marmoreâ cum quadrigâ. Columna verò habet cubitos centum. Cypro signum Jovis Olympii æreum, facies ex auro, quem fecit Phidias in cubitis centum quinquaginta, & lata cubitis sexaginta. Domus illic Cyri regis ædificata lapidibus candidis, & nigellis, auro vinctis: ubi sunt columnæ diversis coloribus, & innumerabiles lanceæ ferreæ, fenestræ ex argento, & tegulæ ex lapide prasino. Murus intus medio Babyloniæ quem Memnon ædificavit lapide cocto, id, est calce & sulphure, ferro intermixtus ut sunt junctura. Latitudo ejus cubitis xxx, altus cubitis cxxx, cingitur millia passuum xxx. Hunc cœpit Semiramis, filius ejus perfecit. Pyramides in Ægypto quas ædificavit. Agartus oppidum: ibi est Nilus fluvius ære factus, plexilis in cubitis ccc, cujus facies smaragdo limpido, brachia ex ebore magno, cujus aspectu & bestiæ terrentur. Athenis signum Jovis Olympii, Alexandriæ flumen Nilum maximè colunt.

Quot

Quot fuere Joves, vel alii in loco Dii Deáque.

JOves fuere tres. Primus in Arcadiâ Ætheris filius, cui etiam Ætherius cognomen fuit. Hic primùm Solem procreavit. Secundus abinde in Arcadiâ, qui Saturnius cognominatur, qui ex Proserpinâ Liberum patrem procreavit primum victorum. Tertius Cretæ, Saturni & Opis filius, optimus maximúsque est appellatus. Martes fuere duo. Primus ex Enoposte, ut eum Homerus ait, & noster est Mars Leucarpis, & aliter Marsenius. Secundus ex Jove & Junone. Soles fuere quinque; Primus Jovis filius. Secundus Hyperionis. Tertius Nini filius, cui Ægyptus est consecrata. Quartus qui Rhodi natus est, cujus etiam Zemintus est filius. Quintus Colchi filius, ex quo Circe & Medea & Phaethon nati sunt. Vulcani fuere quatuor. Primus Crio & Ioppe natus. Secundus Nili filius. Tertius Saturni & Junonis. Quartus in Siciliâ Meletis filius. Mercurii iv. Primus Cœli & Diei filius. Secundus Jovis & Croniæ filius, vel Proserpinæ. Tertius Croni filius & Maiæ, qui est inventor lyræ. Quartus Quilleni filius; qui Ægyptiis literas & numerum dixit. Apollines quinque. Primus Vulcani & Minervæ. Secundus ex Corybante. Tertius Jovis filius ex Latonâ. Quartus Sileni filius in Arcadiâ. Quintus Ammonis filius in Libyâ natus. Dianæ III. Prima Jovis vel Croni filia ex Proserpinâ, quæ est Liberi soror. Secunda Jovis & Latonæ, Apollinis soror. Tertia, quæ vocatur Ops, de Glauco. Æsculapii tres. Primus, Apollo dictus, Vulcani filius. Secundus, Lai filius. Tertius Aristeti & Alcippei filius. Veneres IV. Prima Hacdeli & Diei filia. Secunda, quæ ex spumâ nata esse dicitur, & Aëris & Oceani filia. Tertia, quæ Vulcano nupsit, quæ cum Marte se miscuit, unde Cupido natus esse dicitur. Quarta Cypri & Syriæ filia, quam Adon habuit. Minervæ quinque. Prima Vulcani filia; unde Athenarum est civitas. Secunda Nili filia, quam Ægyptii colunt.

colunt. Tertia Jovis filia, quæ in fecillis rebus se exercuit. Quarta Solis filia, quadrigas junxit. Quinta Pallantis & Titanidos filia. Hæc patrem occidit, pro suæ virginitatis observatione, qui ejus cupidus fuit. Unde & Pallas dicta est. Liberi quinque. Primus, ex Jove & Proserpinâ. Hic agricola, & inventor vini; cujus soror Ceres. Secundus Liber ex Merone, & Florâ, cujus nomine fluvius est Granicus. Tertius de Cabiro, qui regnavit in Asiâ. Quartus ex Saturno & Semelâ, dicunt. Quintus Nisi & Hesionæ filius. Hercules sex. Primus Jovis & Ætheris filius. Secundus Nili filius, quem principem colunt Ægyptii. Tertium conditorem loci sui Hellenes dicunt. Quartus Croni filius, & Cartheres, quem Carthaginienses colunt, unde Carthago dicta est. Quintus Ioab filius, qui cum rege Medorum pugnavit. Sextus Jovis filius ex Alcmenâ, qui Atlanta docuit.

De Imperiis.

IMperia ab ineunte ævi memoriâ fuerunt septem. Primi rerum potiti sunt Assyrii, deinde Medi, postea Persæ, tum Lacedæmones, dein Athenienses: post hos indè Macedones: sic deinde Romani.

Reges Assyriorum.

NInus Rex; qui primus exercitu propè totam Asiam sub se redegit, & clarissimam urbem nominis sui condidit Ninon. Belus Rex, Jovis filius, cujus posteri primùm Asiæ regnaverunt; per Ægyptum Libyæ, per Darium Europæ. Semiramis, Circetis nymphæ filia, à columbis educta, uxor Nini regis. Cujus post mortem Regnum Nini ampliavit; armis Indiam quoque parum prosperâ expeditione tentavit. Hæc urbem pulcherrimam omnium, quæ unquam fuerunt, Babylona constituit, supra flumen Euphratem. Sardanapalus, qui ob nimias delicias & luxuriam perdito regno, ne in potestatem hostium veniret, cum

exoletis suis venenum bibit, & igni subjecto cum regiâ suâ conflagravit.

Reges Medorum.

ARsaces, primus Rex, qui eversas Assyriorum opes luxuriâ Sardanapali transtulit, eósque justissimè rexit. Astyages, vir fortis & justus, qui per insidias victus à Cyro est, & dissolutum est Mediæ regnum.

Reges Persarum.

CYrus rex fortissimus, qui majore parte Asiæ subactâ, Europam quoque inrupisset, ni à Tomyre Scytharum reginâ victus oppressúsque esset. Cambyses, filius erat Cyri; qui, cùm lxx millia hominum subegisset in Ægypto, & regem ejus Amasin, Æthiopiam profectus, magnâ parte militum per famem amissâ, invitus rediit. Urbem tamen ibi condidit Meroen. Is quia Apin sacrum bovem interfici jusserat, irâ deorum ex equo præceps super gladium suum ruit, extinctúsque est. Darius rex unus ex septem Persis hinnitu equi regnum adsecutus, cum cclxx millibus Europam transivit. Victus ab Athenienses ducenta millia apud Pseudomarathona decessit. Xerxes, Darii filius, cùm recessisset pater ejus, aliquantis navibus armatis militibus in Europam transivit. Contabulato Hellesponto, & forato Atho monte, nequidquam aliud egit, quàm ut Athenas incideret mari. Victus à Lacedæmoniis & Athenienses, in Asiam rediit, ibíque suorum fraude interfectus est.

Duces & Reges Lacedæmoniorum.

EUrystenes & Procles gemini, qui genus ab Heraclidis deducentes primis, parte alternâ regnaverunt. Lycurgus legumlator, cui Lacedæmonii principes Græciæ per annos septem invisi fuerunt. Theopompus & Polydorus Reges, qui Messenium bellum xx annis gesserunt. Othryades vir bellator, qui Messenio bello, quo centeni, id est, quinquageni, con-

certaverunt, & trophæum suo sanguine scripsit, tertiúsque Messenio bello, ex oraculo Apollinis, dux ab Athenienses per ludibrium missus, pœnateas vota, militum animos concitavit, ut tam diuturnum prœlium victoriâ consummarent. Leonidas, dux Persico bello, qui cum trecentis Lacedæmoniis apud Thermopylas totam vim Persici belli morte suâ ac suorum obtinuit. Pausanias, qui Persico bello Mardonium præfectum Xerxis cum pedestribus copiis apud Asopum Bœotiæ flumen debellavit: mox proditionis à rege suspectus idem Mardonius, ideóque accusatus, in asylum Minervæ confugit, & ibi fame confectus est. Leander dux, qui dominantem toto mari classem Atticam apud Ægeos primus oppressit, & victis Athenienses xxx tyrannos imposuit. Xanthippus, vir Lacedæmoniorum fortissimus, qui bello Punico primus Carthaginienses dux missus Regulum cepit. Agesilaus, cujus inventum est, in hostili, quàm in suâ terrâ, pugnare; ideóque in Asiam missus, vastatâ eâ, cùm jam Regi immineret, revocatus Athenienses apud Crotonem vicit. Postea apud Corinthios flevit, quòd decem millia Græcorum occisa cognovisset, nec voluit Corinthum delegare, cùm posset.

Clarissimi Reges & duces Athenienses.

CEcrops rex, qui urbem condidit Athenas, & ex suo nomine Cecropidas appellavit cives. Idem fabulosè, quia indigena fuit, ab inguinibus serpens fuisse narratur. Erichthonius rex, qui mysteria Eleusinæ constituit. Celeus cum Euboleo sacerdote, filiabus virginibus ministris, Triptolemo frugum præfecto; qui fame laborantem Græciam circumlato frumento restituit. Pandion rex, qui filias suas Procnen & Philomelam Thraciæ regibus tradidit, ut barbaras sibi gentes adfinitate sociaret. Theseus Ægei filius, qui Minotaurum interfecit. Demophontes, ejus filius, qui cum Græcis Ilium expugnavit. Codrus rex, qui pro salute & victoriâ patriæ, secundùm ora-

culum Apollinis, bello Peloponnesio se devovit. Pisistratus, vir fortis, & sapiens, qui adversùs principes populari causâ tyrannidem invasit, eámque justissimè administravit. Armodius & Aristogeiton, homines plebei, qui Hippian & Hipparchum Pisistrati filios sævè dominantes factâ conjuratione oppressérunt, ideóque ut conservatoribus divini honores eis sunt constituti. Miltiades dux, qui lxxx millia militum Persarum Darii regis, præfectis Date & Tisapherne, in saltu Marathonio superavit. Aristides Dicæos, qui hoc agnomen moribus est consecutus, ob id ipsum exilio multatus est. Cimon dux, qui Persico bello Xerxis copias, pedestres simul atque navales, in ipsâ Asiâ apud Eurymedonta flumen uno die vicit. Alcibiades dux, vir genere, copiâ, opibus, illustris; qui propter detruncatos nocte Mercurios reus factus ad Lacedæmonios confugit Peloponnesi bello, &, cùm fecisset eos superiores, adflictorum civium misertus, rediit in patriam, & dux creatus, iterum victores Athenienses fecit. Thrasybulus, qui triginta Magistratus Lacedæmonios tyrannidis dominatione sævientes factâ conjuratione adflixit, & libertatem Atheniensibus reddidit. Conon dux, qui omnes Lacedæmoniorum copias apud Cnidum insulam cepit, & imperium maris Athenis restituit. Dion, qui octo onerariis navibus Dionysium regem Siciliæ centum rostratas habentem, dum in Italiam abest, regno expulit, occupatis Syracusis. Hiphicrates, rei militaris peritissimus, qui arma habiliore pondere & modo fecit. Phocion, qui vir bonus cognominatus est, neque ullâ pecuniâ à Philippo potuit sollicitari, ut ad eum discederet. Qui admonentibus amicis, ut liberis suis consuleret; Si boni, inquit, erunt, hic agellus eis sufficiet; si mali, nihil. Chabrias dux, qui gladiatoriâ arte pugnare militem docuit; Cypron & Naxon, & omnes Asiaticas insulas Athenis adjunxit, & circa Thion navali bello occidi maluit, quàm abjectis armis enatare. Demetrius Phalereus, vir bonus

existimatus, ideóque ob insignem justitiam statuis ecc est honoratus; quas ei pro libertate posuerunt in facie publicâ.

Reges Macedonum.

PHilippus, Amyntæ filius, primus Macedonum obtinuit Thraciam, redegítque in suam potestatem; &, cùm transire in Asiam vellet, sub ipso belli apparatu in theatro à Pausaniâ est interfectus. Alexander, Philippi & Olympiadis filius, ex urbe Pellâ Macedoniæ cum xl millibus militum in Asiam transisset, Darium regem Persarum primùm apud Granicum flumen, tum apud Issum Ciliciæ, tertiò apud Arbela, tribus prœliis, triginta peditum legionum, equitum bis mille falcatorum curruum vicit. Mox regem Indorum, & omnes Asiæ gentes sub potestate suâ redegit, & nobilissimas urbes Asiæ cepit, Sarbactran, Susa, Babyloniam, ubi etiam defunctus, dubium vinolentiâ, an veneno, cùm tamen priùs & Africam peragrâsset usque ad Jovem Ammonem, & Oceanum primus omnium navigâsset. Philippus, qui post Alexandrum Macedonem septimo gradu Macedoniæ regnavit, invictus in Græciam cùm sævè dominaretur, à Sulpicio consule in Phocide victus est, mox à Flaminio in Macedoniâ, Thessaliâ apud Cynocephalas, ubi dato obside filio Demetrio regni parte multatus est. Perses Philippus, Philippi filius, cùm maximis copiis Macedoniis esset, & cùm impetum in Græciam fecisset, cum inanibus elephantorum simulacris à Marco consule apud Scyriam paludem victus, præcipitatis in mare thesauris profugit; mox ab Æmilio Paulo totâ Macedoniâ fugatus, Samothraciam confugit in asylum: unde, datâ fide cùm se Paulo commisisset, ante currum ejus in triumphum productus, mox liberâ custodiâ in Albano consenuit. Pseudophilippus, vir plebeius & degener, cùm ex similitudine formæ Philippi filium se persuasisset, & Macedonas in bellum excitâsset, inter initia tumultûs

comprehensus, sub custodiâ missus est Romam, ubi cùm ex custodiâ aufugisset, concitatâ rursus Macedoniâ, Thraciam bello recepit. In arce regni paludatus jus dixit: mox à Cæci filio Metello ingenti prælio victus, cùm profugisset in Thraciam, à regibus deditus, & in triumphum deportatus.

Reges & Duces Romanorum.

ROmulus, qui urbem condidit. Numa Pompilius, qui sacra constituit. Tullus Hostilius, qui Albam diruit. Ancus Martius, qui leges plurimas tulit, & Hostiam coloniam constituit. Servius Tullus, qui primum censum egit. Priscus Tarquinius, qui insignibus magistratus adornavit. Tarquinius Superbus, qui ob nimiam superbiam regno pulsus est.

Clarissimi duces Romanorum.

BRutus, qui pro libertate publicâ liberos suos interfecit. Valerius Publicola, qui propter eandem libertatem adversùs Tarquinios bellum exercuit. Idem jus libertatis dando populum ampliavit. Manlius Torquatus, qui ad confirmandam castrorum disciplinam filium suum interfecit. Quintius Cincinnatus, idem Serranus, cui aranti dictatura delata est. Camillus, qui, Senonum gente deletâ Gallorum, incensam ab eis urbem restituit. Fabii duo: quorum alter unâ pugnâ Etruscos, Samnitas, Umbros, Gallósque subegit, Libertinos à tribubus repurgavit, ideóque Maximus cognominatus: alter Fabius Hannibalem morâ fregit, ex quo Cunctator est cognominatus. Papirius Cursor; hic Samnites, qui Romanos sub jugum pugnando miserant, victos ignominiâ pari adfecit, & à velocitate Cursor est appellatus. Curius, cùm in foco rapas torreret, offerentibus, Malo, inquit, in fictilibus meis & aurum habentibus imperare. Fabricius Luscinus, qui Cornelium Rufinum consularem virum senatu amovit, luxuriæ & avaritiæ damnatum, quòd decem pondo argenti possideret:

Claudius Marcellus, qui Annibalem primus in Campaniâ prælio vicit; idémque docuit, in bello quomodo equites sinè fugâ cederent. Scipiones duo, quorum alter prior, Africanus, qui Annibalem, & in eo Africam, debellavit; alter Scipio Numantinus, qui Carthaginem & Numantiam diruendo, in hâc Africam, in illâ Hispaniam fregit. Quintus Nero, qui Annibale in Apuliâ relicto, venientem ab Hispaniâ Hasdrubalem excepit, copiásque ejus uno die apud Metaurum flumen devicit, qui sese cùm Annibali junxisset, dubitari non potest, paria eis præstiturum non fuisse. Paulus, qui cùm Macedoniam vicisset, & Græciam liberâsset, & opulentissimum triumphum reportâsset, inter ipsos triumphi dies amissis duobus liberis, pro concione dixit, gratias se agere fortunæ, quòd in suam potiùs domum, quàm in remp. sæviisset. Duo Metelli: quorum alter Macedonicus, devictis Macedonibus; qui, Contrebiam inexpugnabilem Hispaniæ civitatem, jussis testamenta scribere, & vetitis redire nisi vicissent militibus, occupavit: alter Numidicus, victâ Numidiâ; qui cùm pernicioſas reip. leges ferret Apuleius tribunus plebis, totúsque senatus in eas jurâsset, maluit in exilium ire, quàm jurare. Hujus filius, Pius cognominatus est, quòd patrem in exilium secutus est. Caius Marius, qui in Africâ Numidis, in Galliâ Cimbris Teutonibúsque superatis, à caligâ pervenit usque ad septimum consulatum. Sylla, qui bello civili victoriâ perpotitus, Romanum primus invasit imperium, solúsque deposuit. Sertorius, qui proscriptus à Syllâ cùm in exilium profugisset, quàm brevissimo tempore propè totam Hispaniam redegit in suam potestatem, & ubique adversante fortunâ insuperabilis fuit. Lucullus, qui Asiacæ provinciæ spoliis maximas opes est consecutus, & ædificiorum, tabellarúmque pictarum studiosissimus fuit. Pompeius, qui Armenios sub rege Tigrane, Ponticos sub rege Mithridate, Cilicas toto mari dominantes, intra quadragesimum diem vicit, & magnam partem

Asiæ inter oceanum Caspium Rubrúmque victoriis suis triumphísque peragravit. Caius Cæsar, qui Gallias Germaniásque subegit, & primus Romanorum navigavit Oceanum: in quo Britanniam invenit, & vicit. Julius Cæsar Augustus, qui perpacatis omnibus provinciis exercitus toto orbe terrarum dispósuit, & Romanum imperium ordinavit. Post cujus consecrationem perpetua Cæsarum dictatura dominatur.

Romani qui in Togâ fuerunt illustres.

MAnius Agrippa, qui dissidentem populum senatui conligavit, atque conciliavit. Appius Cæcus, qui pacem Pyrrhi diremit, ne populus, qui suis parere noluerat, sub externis regibus regeretur. Tiberius Gracchus, qui Scipionem Asiaticum quamvis inimicum haberet, non est passus à tribunis in carcerem duci, quòd diceret, nefas ibi esse Scipionem, ubi captivi illius adhuc alligati tenerentur. Hic est Gracchorum pater, qui in tribunatu, cùm agrariis legibus seditiones excitarent, interfecti sunt. Decimus Brutus Calæcius, qui Gracchum generum agrariis legibus Reip. statum turbantem cum Opimio consule oppressit. M. Brutus, qui Pompeii partes secutus, mox à Cæsare restitutus, in mortem ejus conjuravit, quòd affectare nomen regium videretur. Lucius Drusus, qui agrariis legibus promulgatis, summum pro eo favorem consecutus, ne promissa perficeret, per insidias à Philippo Cons. domi suæ interfectus est. Lutatius Catulus, qui Lepidum acta Syllæ rescindere volentem admoto exercitu Italiâ fugavit, & solus omnium sinè sanguine bellum civile confecit. Cato Censorius, qui toties accusatus est, quoad vixit, nocentes accusare non destitit. Hic est omnium regum peritissimus, & ut Sallust. Crispo videtur, Romani generis disertissimus Cato. Cato Prætorius, qui bello civili partes Pompeii secutus, mori maluit quàm superstes esse reip. servienti. Scaurus, qui vetuit filium in conspectum suum venire, quia bello Cyprico defecerat. Scipio Nasica, quia non

rite inauguratus Consul videretur, consulatu se abdicavit; & domitis Dalmatis oblatum à Senatu triumphum repudiavit; statuásque, quas sibi quisque in publico posuerat, in censurâ suâ sustulit. Censuit in Senatu tamen, Carthaginem non esse delendam, propterea optimus judicatus. Cornelius Cethegus, qui fratrem suum Cethegum, quòd cum Catilinâ conjurâsset, morte multandum censuit. Tullius Cicero, qui in consulatu suo Catilinæ conjurationem fortissimè oppressit.

Qui pro salute se obtulerunt.

HOratius tergeminus, qui adversùs Curiatios Albanorum; qui de summo imperio dimicaverunt. Fabii, qui trecenti, cùm omnes patriciæ stirpis essent, bellum Vejens peculiariter sibi depoposcerunt. Mucius Cordus, qui ignibus manus imposuit. Horatius Cocles, qui ponte rescisso Tiberis armatus transiit navitans. Trecenti sub Calpurnio Flammâ contra Pœnos; qui in Sicilienssi saltu, mortuo exercitu, populum Romanum liberaverunt, ut planè ccc Lacedæmoniorum apud Thermopylas gloriam adæquarent. Duo Decii; quorum alter Latino bello, alter Samnitico diis Manibus se devoverunt. Fulvius Pontifex; qui, urbe à Gallis Senonibus incensâ, se aliósque senes diis Manibus devovit. Regulus; qui tormenta Carthaginiensium maluit pati, quàm ut inutilis pax cum eis fieret, aut ipse jurisjurandi fidem falleret. Curtius; qui se in hiatum terræ immisit, cùm ex oraculo, quod optimum esset in urbe Romanâ, posceretur. Spurius Postumius; qui à Pontio Telesino Samnitum duce sub jugum missus cum exercitu, autor fuit rumpendi fœderis, séque hostibus censuit esse dedendum. Caius Metellus Pontifex, ardente templo Vestæ Palladium extulit, & oculos amisit.

Qui ſpolia opima retulerunt.

ROmulus de Acrone Ceninenſium rege. Coſſus Cornelius de Larte Tolumne Vejentium rege. Claudius Marcellus de Virodomaro rege Gallorum.

Qui provocati ab hoſtibus manus contenderunt.

MAnlius Torquatus, qui Gallo torquem detraxit, eúmque ſibi circumdedit. Valerius Corvinus; qui à Gallo provocatus cùm pugnaret, corvus galeam ejus inſedit, & hoſtem perturbavit. Scipio Æmilianus cùm eſſet legatus ab Lucullo imperatore apud Intercatiam Vaccæorum urbem, provocatorem barbarum occidit. Lucius Opimius ſub Lutatio Catulo Conſule, in ſaltu Tridentino provocatorem Cimbrum interfecit.

Qui pro Romanis gentes ſuperaverunt.

SCipio Africanus, Scipio Numantinus, Scipio Aſiaticus, Mummius Achaïcus, Servilius Iſauricus, Brutus Callaïcus, Paulus Macedonicus, Metellus Creticus, Cæſar Germanicus, Cæſar Dacicus.

Quot illuſtres Scipiones, qui magnis rebus geſtis cognominati ſunt.

SCipio magnus Africanus, qui vicit Annibalem. Scipio minor Numantinus, qui Numantiam, & Carthaginem diruit. Scipio Aſiaticus, qui de Antiocho triumphavit. Scipio Naſica, qui à Senatu vir optimus eſt judicatus. Scipio, qui occiſo Pompeio partes reſtituit, & victus ſe interfecit.

Seceſſiones plebis.

SEceſſiones plebis à patribus fuerunt quatuor. Prima ſeceſſio propter impotentiam fœneratorum, cùm in montem plebs armata ſeceſſit. Secunda propter impotentiam Decemvirûm, cùm interfectâ filiâ ſuâ Virginius Appium & totam ejus factionem in Aventino monte circumvenit, effecítque ut abdicato

magiſtratu accuſati, atque damnati variis ſuppliciis punirentur. Tertia propter matrimonia plebei, ut ne patriciis nuberent, quam Canuleius concitavit in monte Janiculo. Quarta ſeceſſio in foro, propter magiſtratus, ut plebei conſules fierent, quam Sulpicius Stolo concitavit.

Seditiones.

SEditiones in urbe quatuor. Prima ſeditio, Tiberii Gracchi; quem, de judiciariis & agrariis legibus ſtatum civitatis moventem, Scipio Naſica factâ manu in Capitolio oppreſſit. Secunda ſeditio, Gracchi fratris ejus; quem ob ſimiles largitiones novos motus excitantem Opimius conſul, cum Decimo Bruto Callæcio ſocero ejus, convocatis ad pileum ſervis, in Aventino monte oppreſſit. Tertia ſeditio, Apuleii Saturnini Tr. Pl. & Glauciæ Conſulis; quos comitia in campo cædibus perturbantes, Marius in Capitolium perſecutus obſedit, & conficiendos fuſtibus ſaxíſque curavit. Quarta ſeditio, fuit Livii Druſi, & Quinti Cæpionis, cùm ille Senatus equeſtrem ordinem adſideret. Præcipua tamen ad motus excitandos fuit cauſa, quòd Druſus civitatem omnibus Italicis pollicebatur, ſed tum à Philippo Conſule in domo ſuâ interfectus.

Qui adversùs patriam nefaria iniere conſilia.

COriolanus, ob aſperiorem annonam in exilium actus, Volſcorum exercitu admoto patriam expugnare voluit, ſed Veturiæ matris precibus victus, tum ab exercitu ſuo confuſus eſt. Marcus Melius, frumentariâ largitione cùm videretur, juſſu Quintii Cincinnati dictatoris à Magiſtro equitum in roſtris occiſus eſt. Spurius, cùm Agrariis legibus factione dominationem pararet. Manlius Capitolinus, cùm pecuniâ conturbatores liberaret, ſuſpectus regni affectati de Tarpeio Saxo præcipitatus eſt. Catilina cùm in cædem Senatûs, in incendium urbis, direpti-

onem ærarii conjurâsset, & in id facinus Allobrogas sollicitâsset, ab Cicerone in Senatu accusatus, ab Antonio in Apuliâ debellatus est.

Qui Reges vel Duces cum Romanis bella gesserunt.

POpulus Romanus sub Romulo pugnavit cum Sabinis, priùs propter virgines raptas. Sub Tullio cum Albanis. Pontius Telesinus, dux Samnitum; qui ad Caudinas furculas Romanos sub jugum misit. Pyrrhus, Rex Epirotarum, qui pro Tarentinis bellum cum Romanis gessit, vastatâque Campaniâ ad vicesimum ad urbem pervenit, mox à Curio & Fabricio victus in patriam concessit, & cùm Achaiam armis sub se redegisset, Macedoniam quoque Antigono regi eripuisset, dum Argos expugnat, occisus est. Omnium Græcorum sapientissimus, & militaris disciplinæ peritissimus fuit. Annibal, qui novem annorum, patrem in Hispaniam secutus, minor annorum quindecim imperator factus; triennio in Hispaniâ vicit, & eversione Sagunti, rupto fœdere, per Pyrenæum & Alpes in Italiam venit, Scipionem ad Ticinum, Tiberium Claudium apud Trebiam, Flaminium apud Thrasymenum, Paulum & Varronem apud Cannas, Gracchum in Lucaniâ, Marcellum in Campaniâ superavit.

Status Populi Romani quas commutationes habuerit.

POpulus Romanus primùm sub regibus fuit. Deinde, post superbiam Tarquinii, & illatum Lucretiæ stuprum, expulsis regibus, tutelam sui consulibus tribunisque commisit. Deinde tribunitiis seditionibus agitatus, abdicatis omnibus magistratibus, Decemviros, legum ferendarum & Reip. constituendæ causâ, paravit. Horum quoque dominationem & libidinem detestatus, rursus ad consules rediit; donec, exortis bellis civilibus inter Cæsarem & Pompeium, & oppressâ per vim libertate, sub unius Cæsaris potestatem redacta sunt omnia. Ex eo perpetua Cæsarum dictatura dominatur.

Initium Regni Mithridatis.

CYrus, Rex Persarum primus, imperium Medis ademit. Duos filios reliquit, Cambysen & Smerden. Horum Cambyses, defuncto patre, quòd major esset, Smerden in solio sedentem, capite cœlum pulsare per somnium videns, occidendum eum curavit ipse: & deinde, revertens ab Æthiopiâ, rebus perfractis cùm in Ægyptum venisset, incolasque ejus loci lætantes advertisset; ratus illos adversis suis insultare, Apin in femine vulneravit, eodemque ictu occidit. Interim Magus quidam Smerdes, Patibiatæ frater, aburens nomine ex formæ similitudine, filium se Cyri professus, regnum Persicum invaserat. Quod ubi Cambysi nuntiatum est, regredi in patriam maturans, oblitus est gladium, quo Apin interfecerat, vaginæ reddere. Quod cùm conaretur efficere, femen suum vulneravit, & eam partem, quâ Apin vulneraverat. Ex eodem vulnere in paucis diebus obiit. De cujus morte postquam certior nuntius ad Persas venit, Potanes Pedimam filiam suam, quâcum Smerdes consuetudinem habebat, edocuit, ut cùm ille sopitus esset, utrùm aures tectas comis haberet, periclitaretur. Sciebat enim, à Cyro Smerdi Mago ademtas aures. Ille falsum esse Smerden confirmavit. Tunc septem nobilissimi Persæ inter se conjuraverunt. Eorum nomina hæc sunt, Potanes, Hydanes, Aspatines, Saphernes, Megabolus, Gobies, Darius. Deinde, Mago Smerde interfecto, constituerunt, uti excepto posthac Potane, ex illis regnaret, cujus equus primus in loco, quem delegissent, hinnisset. Tunc Hiberes, agaso Darii, equum domini ad locum prædictum duxit. Illic alia equa ab suo initur. Tunc equus Darii magnum hinnitum dedit. Ita Darius regnum obtinuit. A quo Artabanes originem ducit; quem conditorem regni Mithridatis fuisse, confirmat Sallustius Crispus.

Reges

Reges Parthorum.

SEleucus, Alexandri Macedonis amicus. Hujus post mortem Abarrida, frater ejus, jussus Babylonem obtinere, finitimos sub se redegit, unde Nicanor est appellatus, & tres validissimas urbes constituit, Abarridam, Seleuciam, Laodiciam. Arsaces; formâ & virtute præcipuus, cujus posteri Arsacidæ cognominati sunt: qui pacem cum Syllâ imperatore fecit. Orodes; qui fœdus cum Cn. Pompeio percussit, Crassum cum legionibus apud Carras funestâ clade delevit. Pacorus; qui filium ejusdem nominis misit in Syriam, ut Romanas provincias popularetur; atque ipse à Ventidio legato Julii Cæsaris occisus est.

Reges Cappadociæ & Armeniæ.

TIgranes, qui jam scriptus est; qui tertio Punico bello perdomuit sub Mancino Cons. & Scipione Æmiliano. Bellus, rex Armeniæ; qui cùm impetum in Græciam fecisset, & Pythii Apollinis templum incendisset, tempestate & frigore exercitum amisit. Polycrates, rex Cappadociæ; qui somniavit Solem & Lunam uri; qui à præfecto Darii regis occisus est. Epaminon, ejus filius, rex; qui Thebas Græcorum pugnando vicit. Periander, Rex qui Corinthi regnavit; omnia terrâ & mari Romanis subjugavit. Timoleon, qui Corinthi fratrem suum regnantem interfecit. Idem & Dionysium Siciliæ regem expulit, neque ipse ab offerentibus regnum accepit, sed arcem quoque demolitus est. Hic cùm convitia mala audiret, ait, Totâ vitâ meâ id egi, ut omnes liberi essemus.

Reges Asiæ & Pergami.

EUmenes Carduenus Philippi Alexandri armiger bellicosissimus, sed parum prosperâ fortunâ usus; adeò tamen terribilis, ut vivente eo nemo ausus sit Rex appellari. Antiochus jam scriptus est. Eumenes alius, qui Romanos Macedonico bello juvit cum milite suo. Attalus, qui pro Romanis sæpe pugnavit,

Nam testamento suo Populum Romanum hæredem fecit.

Reges Ponti & Bithyniæ.

PHarnaces, Rex Bithyniæ, filius Mithridatis; qui bello civili, quod in Pharsaliâ gestum est, milite patris sui Syriam invasit, & adventu Cæsaris, antequam in congressum ejus veniret, ipso terrore nominis sui victus refugit in Pontum. Prusias Rex, amicus populi Romani; ad quem Annibal victo Antiocho confugit, &, cùm à rege exposceretur per legatos, veneno se liberavit. Nicomedes, socius & amicus populi Romani; in cujus amicitiâ primâ ætate Cæsar fuit. Qui moriens testamento & ipse Pop. Rom. hæredem dimisit.

Reges Alexandriæ.

POst mortem Alexandri Macedonis regnaverunt Alexandriæ Ægyptum octo Ptolomæi nomine, multi clarissimi viri. Ptolomæus Euergetes; qui Alexandrum apud Ozydacras objecto clypeo protexit. Ptolomæus, filius Philadelphi, literatissimus; qui plurimos libros Græcos scripsit. Ptolomæus Soter; qui ingenti classe Rhodios vicit. Ptolomæus Tryphon; qui seditiosos in theatro sagittis occidit, alios flammis dedit. Hujus filius Cypris pro Romanis multa bella gessit, adversus Garamantas & Indos. Ptolomæus, Pupillus dictus; qui Pompeium tutorem à Senatu accepit, donec pubesceret, & postea civili bello Pontino interfectus est.

Duces & Reges Carthaginiensium.

HAnno, & Mago; qui Punico bello Cornelium Cons. apud Liparas ceperunt. Hamilcar, qui Boccor cognominatus est, primo Punico bello magnam partem Hispaniæ sub imperium Carthaginiensium redegit: relictis filiis quatuor, Asdrubale, Annibale, Hamilcare, & Magone. Asdrubal, frater Annibalis; qui secundo Punico bello, cum ingentibus

copiis ab Hispaniâ veniens, antequam se fratri conjungeret, à Claudio Nerone expoliatus est.

Reges Numidiæ.

SYphax; quem Scipio Africanus victum in triumphum traxit, regnóque ejus imposuit Masinissam. Masinissa Rex; qui Scipionem adversùs Carthaginem & Syphacem equitatu adjuvit. Ab eo, inter præmia commilitii Numidiæ regno donatus est. Jugurtha; qui scriptus est.

Reges Mauritaniæ.

JUba Rex; qui Curionem legatum Cæsaris oppressit: mox, occiso Pompeio, Catonis & Scipionis partes firmare conatus, cùm se in regiam recepisset, post magnificam cœnam interficiendum se dedit. Juba, rex literatissimus; qui Cæsaris Augusti jussu regnavit, & magnificentissimam urbem Cæsaream condidit.

Qui adversùs Pop. Rom. arma sumpserunt.

TAtius, Rex Sabinorum; qui occupatâ arce Tarpeiâ in ipso foro cum Romulo decertavit, & interventu Sabinorum pacem cum Romulo fixit. Mettius Suffetius, Rex Albanorum; qui, contra fœdus, à Fidenatibus destitutus, & jussu Tulli Hostilii ad currum, & in adversa actis equis, laceratus est. Porsenna, rex Etruscorum, qui Romanos ad Janiculum obsedit, propterque Tarquinios. Tiridates, qui à Corbulone Consulari viro victus, & restitutus est.

Bella civilia quot.

CIvilia bella quatuor mota sunt in urbe à Romanis. Civile bellum primum Sulpicius Tribunus excitavit, quòd subscriptam provinciam Mithridaticam Sylla in Marium transferre noluisset. Secundum bellum Lepidus contra Catulum, ob metum Siciliæ expoliatæ. Tertium bellum Cæsar & Pompeius, Belli species magis, quàm causa fuit, negatus à Senatu Cæsari consulatus. Cæterùm utriusque æmulatio & cupiditas imperii occupandi. Nam, cùm secundùm mores legémque majorum dimisso exercitu venire in urbem Cæsar deberet, & docere Senatum de rebus à se gestis, atque ita triumphum consequi; simulans, se gratiam timere Pompeii, negavit se missurum exercitum, nisi consularibus comitiis ratio absentis sui posita fuisset. Quamobrem hostis à Senatu judicatus, statuit id bello vindicare. Ac sic non consulatum modò ac triumphum, sed totum Populi Romani imperium redegit in suam potestatem. Quartum bellum Cæsar Augustus adversùs complures duces; contra Pompeium juvenem bona paterna repetentem: adversùs Cassium & Brutum in ultionem interempti patris; deinceps adversùs Antonium & Cleopatram ultro bellum patriæ inferentes.

Quot genera bellorum.

BEllorum genera sunt quatuor. Gentile; quod cum externis geritur; ut Romani cum Latinis, Athenienses cum Lacedæmoniis. Servile; quod Romani adversùs fugitivos gesserunt, & contra duces eorum, Spartacum, Crixum, & Oenomaum. Civile; quo inter se certant, sicut Marius & Sylla, Cæsar & Pompeius, Augustus & Antonius.

Ordo belli Mariani.

INexplebilis honoris Marii cupiditas, decretam Syllæ Ponticam provinciam voluit eripere per rogationem Sulpicii tribuni plebis. Sylla indignatus continuò ad exercitum perrexit, & eum urbi admovit, & in patriam ingressus, Capitolium occupavit. Quo terrore victus Senatus, Mario totíque factioni ejus interdixit. Profecto deinde in Asiam Syllâ, Marius exul cum profugisset, ac primùm Minturnis in palude latuisset, tum conjectus in carcerem evasisset, interim Cinna & Octavius in urbe essent; ob hoc, occasione

datâ, Marius redit, & se cum Cinnâ adjunxit, victis Octavianis partibus. Septies consul creatus sæviſſimis cædibus totam urbem funeſtavit. Sylla interim victo Mithridate in urbem reverſus, propè totam Italiam in armis invenit, ſub juvene Mario Marii filio: ſed omnes ejus copias partim in Etruriâ ad Sacriportum, partim ad Collinam portam proſtravit: & reliquias adverſariorum eorum, qui ſe dediderant, in villâ publicâ trucidavit. Qui diffugerant, in tabulâ proſcripſit, jure permiſſo ut interficerentur.

Ordo Belli inter Cæſarem & Pompeium.

CÆſar, & Pompeius, & Craſſus, initâ ſocietate, imperium Romanorum poſſidebant. Cæſar Gallicos, Craſſus Syriacos exercitus habebat. Pompeius, horum viribus fretus, in Senatu dominabatur. Poſt Craſſi mortem apud Parthos Muſus Barbarus Aſculanus; Quintus Lutatius Catulus.

De bello Macedonico.

POpulus Romanus cum Macedonibus bellum ter geſſit. Sub Flaminio Conſule regem eorum Philippum vicit. Sub Paulo Perſen Philippi filium. Sub Metello Macedonico Pſeudophilippum. Primi belli cauſa, quòd de injuriis Macedonum Græci querebantur. Secundi, quòd fœdus cum patre ſuo percuſſum ruperit Perſes. Tertii, quòd falsò nomen regum Macedonum Pſeudophilippus invaſit.

De variis Cladibus Populi Romani.

ETruſco bello; cùm Porſenna rex Janiculum obſedit. Gallico bello; cùm Galli Senones, exercitu apud Alliam deleto, urbe incensâ, Capitolium obſederunt. Tarentino bello; cùm Pyrrhus ad viceſimum lapidem totam Campaniam populatus acceſſerat. Punico bello; cùm Annibal Cannenſi exercitu fuſo ad tertium lapidem caſtra poſuit. Cimbrico bello; cùm Cimbri Tarentinas Alpes occupaverunt. Servili bello; cùm Spartacus, Crixus & Oenomaus gladiatores, populatâ propè Italiâ, cùm ad incendendam urbem pergerent, in Lucaniâ à Craſſo, in Etruriâ à Pompeio Conſule, opprimuntur.

De tribus Punicis bellis.

POpulus Romanus cum Carthaginienſibus dimicavit. Primum Punicum bellum navalibus copiis geſtum eſt. Cauſa motûs prætendebatur duplex. Altera, quòd Carthaginienſes Tarentinis adfuiſſent. Altera, quòd Mamertini adversùs Pœnos auxilium poſcerent. Cæterùm, revera præmium fuit Siciliæ & Sardiniæ poſſeſſio, fertiliſſimarum inſularum. Appius Claudius bellum in Siculo freto commiſit; Manlius & Regulus in ipſâ Africâ profligaverunt: Duillius Conſul apud Liparas inſulas; Lutatius Catulus apud Ægates, merſis hoſtium claſſibus, conſummaverunt. Secundum Punicum bellum longè omnium cruentiſſimum fuit. Cauſa, quòd Annibal contra fœdus Saguntum evertiſſet. Prima clades hujus belli apud Liſternum, vulnerato patre Scipione; quem Publius Scipio, nondum pubes, protexit ac liberavit. Secunda clades apud Trebiam, vulnerato Flacco Conſule. Tertia apud Thraſymenum, vaſtato Flaminii exercitu. Quarta apud Cannas, deletis duobus exercitibus Pauli Conſulis morte, Terentii fugâ Varronis. Poſtea verò quatuor duces Punici belli gloriam ſibi vindicant. Fabius ſive Cunctator; qui imminentem urbis excidio Annibalem morâ fregit. Marcellus; qui primus Annibali apud Nolam reſtitit, & inclinatam ejus aciem pæne ictus cruciavit. Claudius Nero; qui venientem ab Hiſpaniâ Aſdrubalem cum ingentibus copiis, priuſquam ſe Annibali jungeret, excepit, & ingenti prœlio vicit. Tertium Punicum bellum majoris gloriæ quàm operis fuit. Nam, Manilio Conſule, inchoatum excidium Carthaginis Scipio Æmilianus conſummavit; unà cum Tigrane cum incensâ Carthagine totius Africæ urbes in perpetuum repreſſit, quòd

contra fœderis pactionem Carthaginienſes reparâſſent claſſes, & arma finitimis intuliſſent.

Uſque Imperium Trajani qui victi ſunt, & per quos, CCIV.

PER Flaminium Conſulem Macedonas vicit ſub rege Perſe bellantes. Per Scipiones Africanos, Carthaginienſes. Per Paulum Conſulem, Perſen in Syriâ vicit regem Antiochum. Per Scipionem Æmilianum Celtiberos, & Numuntiam. Per eundem Scipionem Luſitaniam, & ducem Viriatum. Per Decimum Brutum Galliam. Per Mummium Achaïcum, & Corinthum, & Achæos. Per Fulvium Nobiliorem Ætolos & Ambraciam. Per Marium Numidas & Jugurtham. Per eundem Cimbros & Teuthones. Per Syllam Ponticos & Mithridatem. Per Lucullum item eoſdem Ponticos & Mithridatem: item Cilicas piratas, & Armenios cum rege Tigrane, & plurimas Aſiacas gentes. Sub hôc enim ad Indicum Oceanum, & Rubrum mare uſque pervenit. Per Caïum Cæſarem Gallias & Germanias. Britanniam ſub hôc duce non tantùm vidit, ſed etiam navigavit Oceanum. Per Cæſarem Auguſtum Dalmatas, Pannonios, Illyricos, Ægyptios, Germanos, Cantabros, totúmque orbem perpacavit, exceptis Indis, Parthis, Sarmatis, Scythis, Dacis, quòd eos fortuna Trajani Principis triumphis reſervavit.

De Comitiis.

COmitia dicuntur à comitatu & frequentiâ, quòd Patres & Claſſes ad ſuffragia vocantur, creandorum magiſtratuum vel ſacerdotum cauſâ. Comitiorum autem triplex ratio eſt. Hæc Curiata, hæc tributa, hæc centuriata dicuntur; quia hæc per curias & per tribus & per centurias explicantur. Si tranſlatitium ſit, & ſolitum, de quo populus, curiatis tranſigitur. Si amplius, tributis. Si in ſummo diſcrimine eſt, tum miles ad ſuffragia vocatur, & Comitia centuriata dicuntur.

De

De populi Romani diſtributionibus.

ANtiquiſſima Populi Romani diſtributio triplex eſt, quam Romulus fecit; in regem, in Senatum, in Populum. Qui populus in tres tribus dividebatur; Tiţienſem, Lucerem, Ramnetem. Sequitur Populi Romani diſtributio ſub Servio Tullo rege; qui eum in tribus, claſſes, centurias, diviſit. Ab iteratione cenſus, ut optimus & locupletiſſimus quiſque in ſuffragiis, id eſt, in Populo Romano plurimùm valeret. Et tertia diviſio eſt in patronos & clientelas, quâ inferiores ſuperiorum ſe fidei committebant.

De Rebus-publicis.

RErum-publicarum tria genera ſunt; Regium, optimatum, populare. Aut enim ſub regum ſunt poteſtate; ut Seleucia Parthorum. Aut Senatûs; ut Maſſilia Gallorum. Aut ſe ipſi regunt; ut Athenienſes ſolebant. Eſt & quartum genus, quod Romani commenti ſunt; ut ex his tribus unum efficerent. Nam & regiam poteſtatem Conſules habent, & penes Senatum Conſilii publici ſumma eſt, & plebs habet ſuffragiorum poteſtatem.

Errata hæc graviora, & quæ alia deprehendet, lector benevolus condonabit.

Pag. 6. lin. 21. lege Tarquinius *p. 11. l. 13.* egregiâ *p. 13. l. 16.* sacra *p. 16. l. 6.* armatam: *p. 33. l. 38.* ipsos *p. 41. l. 12.* prætore *p. 46. l. 30.* millibus *p. 49. l. 3.* tum *p. 59. l. 33.* Sic ille *p. 62. l. 3.* recepta *p. 65. l. 3.* fame *p. 69. l. 34.* cum *p. 76. l. 3.* referretur. *p. 80. l. 12.* familiæ?

QUod quidem ad Lucium Ampelium spectat, Lectorem iterum monitum velim me Editionis Elzevirianæ, quam religiosè secutus sum, fide unicâ nixum, maluisse plurima, quorum neque sensum assequor, nec Syntaxin intelligo, intacta relinquere, quàm propriâ, aut quod eódem recidit, nullâ authoritate immutare.

Libri excusi pro J. TONSON ad Insigne vocatum *Shakespear's-Head* in vico vulgò dicto *The Strand*; & J. WATTS in *Bow-Street Covent-Garden*.

I. ΗΣ ΚΑΙΝΗΣ ΔΙΑΘΗΚΗΣ ΑΠΑΝΤΑ. Novum Testamentum. Græcé.

II. Q. Horatii Opera.

III. Catulli, Tibulli, & Propertii Opera.

IV. Publii Terentii Carthaginiensis Afri Comœdiæ Sex.

V. Titi Lucretii Cari de Rerum Naturâ Libri Sex.

VI. Phædri Aug. Liberti Fabularum Æsopiarum Libri Quinque; item Fabulæ quædam ex MS. veteri à Marquardo Gudio descriptæ; cum Indice Vocum & Locutionum. Appendicis loco adjiciuntur Fabulæ Græcæ quædam & Latinæ ex variis Authoribus collectæ; quas claudit Avieni Æsopicarum Fabularum Liber Unicus.

VII. Cornelius Nepos.

VIII. Lucius Annæus Florus. Cui subjungitur Lucii Ampelii Liber Memorialis.

IX. Caii Sallustii Crispi quæ extant.

X. Velleii Paterculi Historiæ Romanæ quæ supersunt.

XI. Justini Historiarum ex Trogo Pompeio Libri XLIV.

XII. Conciones & Orationes ex Historicis Latinis excerptæ.

NB. Sub prelo nunc sudant, propediem vulgandæ,

P. Virgilii Maronis Opera, 1 Vol.

P. Ovidii Nasonis Opera, 3 Vol.

Qui restant de hujusmodi Authoribus Latinis, modico sequentur intervallo.

Biblioteca de
RUSSELL P. SEBOLD